



Otto Jahn's book plate.

9/6



J. Wight Duff.



DE

GALLORUM ORATORIO INGENIO, RHETORIBUS ET RHETORICAE, ROMANORUM TEMPORE, SCHOLIS.

SCRIPSIT

CAROLUS MONNARD.


PHILOS. DR., IN UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA, ROMANICARUM LITTERARUM PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

BONNAE,

APUD ADOLPHUM MARCUM.

MDCCCXLVIII.





Quum in historia litteraria, recentiores nationes inter se conferuntur, quaenam omnium in poesi primas teneat partes, disputari potest, vel potius in hoc consentiri debet, variorum populorum principes poëtas variis viis summum Heliconem attigisse. Eodem modo rerum conscribendarum praecipua laus inter Italicos, Britannos, Germanos et hodiernos Gallos partitur. Supremam vero oratorum et eloquentiae aut in templis, aut in senatu, coramve iudicibus aut coram populo, gloriam Gallis propriam esse, haud facile quisquam negaverit. Oratoria indoles, cum administrativo, quod dicitur [1]), ingenio coniuncta, ei genti iam prima ab origine innata videtur. In litteris sicuti in rebus publicis nil fortuitum; quaecunque ibi acciderunt interna lege reguntur. Quam ob rem operae pretium esse iudicavi, quaenam fuerint, antiquissima de qua certis auctoribus accepimus aetate, Gallorum ingenium et institutio oratoria, investigare.

---

§. 1. *Druidae antiquissimi Gallorum institutores.*

A primordiis rerum Gallicarum, scientiarum universitas et puerorum ac iuvenum educatio penes Druidas [2]) erant. Hi, nationis sacerdotes, theologi, astrologi, iuris periti, medici, mathematici, geometrae, rhetores et oratores, magna potestate, magna veneratione fruebantur. Sedulo et dili-

---

1) Vide *Quintil. I. O.* L. II, c. 18. §. 5.

2) De Druidis vid. *Hist. littér. de la France, par des Bénédictions de St. Maur.* in 4to. T. I. P. I, 29—42.

genter docendae iuventuti operam navabant. Scholas et academias instituerant, non in urbibus quidem, nec in aedibus publicis aut privatis sed in intimis sylvarum et antrorum recessibus, ut cecinit *Lucanus*:

Et vos barbaricos ritus moremque sinistrum
Sacrorum Druidae, positis repetistis ab armis.
Solis nosse Deos et coeli numina vobis
Aut solis nescire datum: nemora alta remotis
Incolitis lucis. [1]

Quamvis litterarum et scripturae usum non ignorarent, tamen nec scribere docebant aut sinebant discipulos, nec ipsi doctrinam scripturae committebant aut componebant libros. Viva voce omnia tractabantur; multis milibus versuum, quasi quadam scientiarum summa, memoriam iuvenum ornabant vel onerabant. Druidarum uxores creduntur, ad instar maritorum, puellarum scholas separatas eadem methodo direxisse [2].

Mysterium redolet ista methodus, et revera aenigmatibus et obscuris verbis Druidae scientiam et veritatem, aut saltem opiniones suas, involvisse dicuntur [3]. Huius vero Gallorum philosophiae, quam Valerius Maximus „avaram et foenaratoriam" nuncupat [4], tenebras dissipavit lux e Graecia in Phoceensium coloniam, Massiliam allata. Hac in provincia, quae prima publica academia totius Galliae nominari meretur, nec scientiae ἐσοτερικαὶ docebantur, nec litterae in penetralibus recondebantur: omnes veras, bonas, utiles notiones quam latissime spargi iubebat humana ratio. Hoc exemplo fracta est doctorum mysteriorum auctoritas. *Post tenebras lux*, non tantummodo parvae civilis reipublicae [5] oraculum, sed universae litterarum reipublicae.

---

1) *Pharsal.* I, 450—454.
2) *Hist. litt.* I. P. I, 41, 42.
3) *Ibid.* 41.
4) L. II, c. 6, n. 11.
5) Genevensis.

§. 2. *Massilia scientiarum et litterarum fons.*

Massiliam [1]) sexto ante Christum natum seculo conditam, ad mare sedentem, potentem navibus, divitiis, mercatorum industria, iamdiu omnimodo Graecarum litterarum et scientiarum genere instructam fuisse cum Romani Galliam Narbonnensem in Provinciam redegerunt [2]), nemo est qui nesciat. Massiliotae grammatici iam olim de litteris bene meruerunt. Ante Zenodotum Ephesum, cui, tempore Ptolemaei Lagi, Alexandrinae bibliothecae cura commissa fuit, Homericorum poëmatum octo recensiones, diversae scripturae exempla, ad nos perlatae enumerantur. Earum duas, quasi clarissimae famae, iam dudum Eusthatius ad Iliadem una cum Aristotelea nominaverat, *Massilioticam* et Sinopicam. Massilioticae honoratiorem locum assignat Cel. Wolfius [3]). Quantam lucem scientiis attulerint docti peregrinatores Massaliotae, *Pytheas*, cui tribuuntur *Orbis Periplus* et *de Oceano liber*, atque *Euthymenes*, qui Atlanticum mare pernavigavit, videant eruditi. In eadem civitate plurimi et industrii artifices mercaturam ingenio et operibus augebant. Minorem mercatoria civitas honorem pictoribus, statuariis, et poëtis habuisse creditur. At studia, in genere, adeo ibi florebant, ut Augustus L. Antonium, adolescentulum, sororis nepotem, seposuerit in civitatem Massiliensem, ubi „specie studiorum" nomen exsilii tegeretur [4]). Agricola, illustri Foroiuliensium colonia ortus, utrumque avum procuratorem Caesarum habuit, quae equestris nobilitas est: pater Iulius Graecinus senatorii ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque notus, iisque virtutibus iram Caii Caesaris meritus. De Agricolae educatione narrat Tacitus: „Arcebat eum ab inlecebris peccan-

---

1) *Hist. littér. de la France.* I, 42—47. *Améd. Thierry, Hist. des Gaulois.* Part. I. ch. 1.

2) Anno U. C. 635, ante Christ. 118.

3) *Prolegomena ad Homer.* XXXIX. p. CLXXIV et CLXXV.

4) *Tacit. Annal.* IV, 44.

tium, praeter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerit, locum Graeca comitate et provinciali parcimonia mistum, ac bene compositum. Memoria teneo solitum ipsum narrare, se in prima iuventa studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse.“ [1]. Ex his exemplis coniici licet longe abfuisse, ut eloquentiae et philosophiae studium in illa Provinciae regione negligeretur.

E hoc Graecarum scientiarum et litterarum fonte, omnis humanitas in caeteram Narbonensem et Aquitaniam influxit. Civitates rhetoras, philosophos, medicos, mercedibus adsciscebant, scholas aperici curabant. Itaque Graecorum vestigia secutos Gallos Strabo iure φιλελλήνας vocat. „Adeoque,“ ait Trogus Pompeius, Iustini ore, „magnus et hominibus et rebus impositus est nitor, ut non Graecia in Galliam „emigrasse, sed Gallia in Graeciam translata videretur.“ [2] Complures tunc civitates litteris et doctorum hominum gloria inclaruerunt, inter alias Tolosa, eodem quo Athenae cognomine, *Palladia* [3].

Graecam linguam in usu fuisse inter eos Gallos praesertim qui cum Massiliensibus negociabantur, testatur verborum et phrasium multitudo quae e Graeca in Gallicam defluxit [4]; testantur Acta Martyrum iussu ecclesiae Lugdunensis et Viennensis graece confecta; testantur nomina propria tunc in Aquitania frequentissima [5]. Luciano Gallias peragranti Gallus philosophus occurrit ἀκριβῶς Ἑλλάδα φωνὴν ἀφιείς [6].

---

1) *Tacit. Agricola*, 4.
2) *Iustinus.* L. XLIII. c. 5.
3) De iis urbibus videatur *Hist. littér. de la Fr.* I. P. I. 47—53.
4) *Henri Estienne, Traité de la conformité du langage françoys avec le grec.* Paris, 1569.
5) *Hist. litt. de la Fr.* I. P. I, 59, 60.
6) *Προσλαλιὰ ἢ Ἡρακλῆς.* 4.

Massiliotae, sub Romanorum imperio, rebus mercatoriis cum Gallis coniuncti, Latinam et Gallicam linguam loqui coeperunt, ideoque Varro *trilingues* eos appellavit [1]. Haud dubie Massiliotae doctores sensim Latine profiteri assueverunt, uti *Pacatus* ille rhetor de quo mentionem facit M. Annaeus Seneca in *Controversiis* [2]. Latinis quoque scriptoribus Provincia inclaruit; testis *Trogus Pompeius*, qui inter Vocontios, Massiliae vicinos, natus, historias a Nini tempore usque ad Augustum conscripserat. Deperditorum eius librorum, qui seculo decimo quarto adhuc exstitisse videntur [3], dolorem Iustini epitome non tam solatur quam auget.

§. 3. *Galli rhetores libera Romanorum republica.*

a) In Urbe Roma.

Strabo narrat Gallos, eruditionis utilitate permotos, litterarum studiosos fuisse. Rhetoricae iam ab initio ingenium suum applicaverunt. Nam antiquissimi magistri qui hanc artem Romae professi sunt oriundi erant e Gallia.

Gallus quidam libertus [4] primus omnium Romae rhetoricam latinam professus est [5], anno U. C. 660 [6]. *Lucius Plotius Gallus* nomen ei erat. De hoc ita Cicero in epistola ad Marcum Titinnium, a Suetonio [7] nobis servata. „Equidem „memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere coepisse „Lucium Plotium quendam: ad quem quum fieret concursus,

---

1) *Hieron. Gal.* pr. 2.
2) L. V, *Contr.* 29.
3) *Heeren*, *De Trogi Pompeii eiusque epitomatis fontibus*, in *Commentt. Soc Goett.* c. 15. Quantam Trogo fidem debitam fuisse existimet eminens historicus Amad. Thierry, vid. in eius *Hist. des Gaulois*. I, XLVIII.
4) *Fuhrmann*, *Handb. d. Class. Lit.* IV. 44.
5) *Seneca Controvers.* praef. l. II.
6) *Baehr*, *Gesch. d. Röm. Literatur.* I, 354.
7) *De Clar. Rhett.* c. 2.

„quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam „mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum ho„minum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationi„bus ali melius ingenia posse. Hunc eundem (nam diutis„sime vixit) M. Coelius, in oratione quam pro se de vi ha„buit, significabat dictasse Atratino, accusatori suo, actionem; „subtractoque nomine, ordearium eum rhetorem appellat, „deridens, ut inflatum, ac levem, et sordidum.“ At Quintilianus Latinorum praeceptorum „insignem maxime Plotium“ nominat [1]). De gestu librum scripsit, ibique praecepit ut oratores togam ad calceos usque demitterent sicuti Graeci pallium [2]).

Cicerone iam praetore, Romae floruit alius rhetor, in Gallia Cisalpina natus, *M. Antonius Gnipho*, ingenuus sed expositus, a nutritore suo manumissus institutusque, de quo haec a Suetonio narrantur: „Fuisse, dicitur, ingenii magni, memoriae singularis, nec minus Graece quam Latine doctus, praeterea comi facilique natura, nec unquam de mercedibus pactus, eoque plura ex liberalitate discentium consecutus. Docuit primum in Divi Iulii domo pueri adhuc; deinde in sua privata. Docuit autem et rhetoricam, ita ut quotidie praecepta eloquentiae traderet, declamaret vero non nisi nundinis. Scholam eius claros quoque viros frequentasse aiunt, in his M. Ciceronem, etiam cum praetura fungeretur et C. Iulium Caesarem. Scripsit multa, quamvis annum aetatis quinquagesimum non excesserit: etsi Atteius Philologus duo tantum volumina de Latino sermone reliquisse eum tradit. Nam caetera scripta discipulorum eius esse, non ipsius: in quibus et suum alicubi reperiri nomen.“ [3]).

Idem Suetonius, quem saepe ducem sequimur, de tertio Gallo Rhetore, in eodem libro (c. 11) his verbis refert: „*Valerius Cato*, ut nonnulli tradiderunt, Burseni cuiusdam

1) *I. Or.* II, 4, §. 42.

2) *Ibid.* XI, 3, §. 143.

3) *De Ill. Gramm.* c. 7.

libertus ex Gallia: ipse libello, cui est titulus *Dirae* seu *Indignatio*, ingenuum se natum ait, et pupillum relictum, eoque facilius licentia Syllani temporis exertum patrimonio. Docuit multos et nobiles, visusque est peridoneus praeceptor maxime ad poeticam tendentibus, ut quidem apparere vel his versiculis potest:

Cato Grammaticus, Latina Siren,
Qui solus legit ac facit poëtas.

Scripsit praeter grammaticos libellos etiam poëmata, ex quibus praecipue probantur *Lydia* et *Diana*. Lydiae Ticida meminit:

Lydia doctorum maxima cura liber.

Dianae Cinna:

Saecula permanent nostri Diana Catonis.

Vixit ad extremam senectam, sed in summa pauperie, et pene inopia, abditus modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat. De quo Bibaculus poëta inter alia:

Catonis modo, Galle, Tusculanam
Tota creditor urbe venditabat.
Mirati sumus unicum magistrum,
Summum grammaticum, optimum poëtam,
Omnes solvere posse quaestiones,
Unum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti, en iecur Cratetis.

Catonis filius *Hermas*, patris vestigia secutus, etiam Romae docuit [1]). — *Clodium Quirinalem* rhetorem, sub Tiberio, Arelas Urbi dedit [2]).

Auctoribus Benedictini Ordinis Patribus qui Gallo-Franciae Historiam litterariam [3]) ex omnibus fontibus conscripserunt, quosque hac speciatim in re maiore fide et in patriam amore quam critico iudicio secuti sunt celebres pro-

---

1) *Suet. de Ill. Gr.* 10.
2) *P. Pithoeus,* in *Quinctil. Declam.* p. 414.
3) T. I. P. I, 92.

fessores Ampère [1] et Michelet [2], Gallis qui oratores adiuvarunt annumerandus foret *Q. Roscius* comoedus. At lapsi errore, quem non effugit vetus interpres, Scholiorum Bobiensium in Ciceronem scriptor [3], Gallum dicunt eum qui teste familiarissimo Cicerone Lanuvinus fuit [4].

Exeamus nunc Urbe, circumspiciamus totum Romanum orbem, ut intelligamus quid provinciae, praesertim Galliae ambae, acceperint a Roma, quid praestiterint.

b) In Gallia Cisalpina.

Suetonius, de primis artis grammaticae apud Romanos temporibus narrans, „In provincias quoque, ait, grammatica penetraverat, ac nonnulli de notissimis doctoribus peregre docuerunt, maxime in Gallia Togata (Cisalpina); inter quos *Octavius Teucer*, *et Siscennius Iacchus* et *Oppius Cares:* hic quidem ad ultimam aetatem, et cum iam non gressu modo deficeretur, sed et visu.“ [5] Adeo haec provincia in scientiis progressa est, ut, Urbis aemula, oratores suos eleganter Latine loquentes celebremque eloquentiae scholam haberet. Cum Galli sedes novas quaerentes in Italiam venissent, Tuscis expulsis, Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Vergamum, Tridentum, Vicentiam condiderunt [6], urbes tunc temporis vere Gallicas, quarumque gloria partim Gallicae genti tribui posset. Concedamus nihilo secius Italiae celebres illos, quorum laudem Galli scriptores patriae suae vindicant, Virgilium, Catullum, Valerium Flaccum, Titum Livium, Cornelium Nepotem, Valerium Maximum, Plinios, caeterosque quos tulit terra Cisalpina [7]. Alpes transeamus.

---

1) *Hist. littér. de la France avant le XIIe. siècle.* I. 148.
2) *Hist. de France.* I. 84 et 85.
3) In orat. pro Archia, c. 8; edit. Orelli, vol. V. P. II, p. 357.
4) *De Divinat.* I, 36, 79; II, 31, 66.
5) *De Ill. Gramm.* c. 3.
6) *Iustin.* l. XX, c. 5.
7) *Hist. littér. de la France.* I. P. I, 54 et 55.

§. 4. *Gallia Transalpina linguam Latinam recipit librosque Romanorum scriptorum.*

A Romanis mercatoribus Galliam Transalpinam, meridionalem praesertim, adeuntibus Latina Galli acceperunt vocabula. Mox, quo natura eos donavit ingenio, Latine loqui coeperunt; nec quidam lepos defuisse loquentibus videtur. Provinciam enim Musis docilem et amicam invenerunt Romani.

Gallos, armis devictos, sermone et litteris plenius ac melius devincere sunt conati. Haec vero naturae lex populorum societates et multitudines regit, ut, excepto uno alterove summae tyrannidis exemplo, non victor victis sermonem suum imponat, sed doctrina et cogitatione praestantior populus animos alterius devincat; sicut enim plantae ad solis radios, sic mentes ad mentis lumen sese convertunt, et cum novis sensibus simul linguam iis imbutam adipiscuntur. Decretis quidem Imperatores Romani et novis institutis linguam Latinam in Gallias intulerunt, sed eam patraverunt victoriam adiuvante naturae decreto et instituto: Romani enim, litteris, artibus liberalibus, philosophia et omnimodo ingenii cultu Gallos valde superabant. Abinde hi Romanos scriptores studiose legere assueverunt, qui caeterum toto orbe Romano legebantur [1]. Plinius iunior scribit: „Bibliopolas Lugduni esse non putabam, ac tanto libentius ex litteris tuis cognovi venditari libellos meos, quibus peregre manere gratiam, quam in urbe collegerint, delector [2]. Martialis legebatur Tolosae [3], famamque suam per Galliae urbes sparsam esse summopere gaudebat.

Fertur habere meos, si vera est fama, libellos
Inter delicias pulcra Vienna suas.

---

1) *Ovid. Trist.* IV. 9. 19; 10. 128. Vide loca quae citat. *W. Ad. Schmidt, Gesch. der Denk- und Lehrfreiheit im 1ten Jahrh.* Berlin 1847. S. 117.

2) L. IX. *epist.* 11.

3) L. IX. *epigr.* 100.

Me legit omnis ibi senior, iuvenisque puerque,
Et coram tetrico casta puella viro.
Hoc ego maluerim, quam si mea carmina cantent,
Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt.
Quam meus Hispano si me Tagus impleat auro,
Pascat et Hybla meas, pascat Hymettos apes.
Non nihil ergo sumus, nec blandae munere linguae
Decipimur. credam iam puto, Lause, tibi. [1]

Remis (Reims), in secundae Belgicae metropoli, bibliopolam fuisse notum facit Apollinaris Sidonius. [2]

Quemadmodum mores, sermo, litterae, sic Gallorum religio cum Romanorum religione paulatim coaluit. Sacrificia humana Claudius edicto penitus abolevit [3]; Druidarum vero secta et nomen usque ad initium quarti seculi, permanserunt. Eo enim tempore, e Druidarum familiis rhetores et grammatici infra nobis occurrent.

§. 5. *Gallorum ingenium litterarium.*

Gallici Musis apti ingenii antiquissima exstant monumenta.

Post Druidas, Galli magno in honore habebant poëtas fere publico munere fungentes, quos *Bardos* nominabant. Hi, ad instrumentorum sonum, lyris similium, pugnam commissuros excitabant; postea timidos versibus satiricis insectabantur, victores aut pro patria mortuos extollebant laudibus [4]; eos ideo his alloquitur Lucanus:

Vos quoque qui fortes animas belloque peremptas
Laudibus in longum vates dimittitis aevum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi. [5]

Romanorum tempore novum poëtarum genus nova fudit carmina.

---

1) L. VII, p. 87.
2) L. IX, epist. 7.
3) *Suet. Claud.* 25.
4) *Diod. Sicul.* L. V, c. 31.
5) *Lucan. Phars.* I, 447—449.

Foro Iulii (Fréjus) in Provincia oriundus erat celeber poëta *C. Cornelius Gallus*, quem tanti fecerunt amicus Virgilius [1]) aliique ut eum Tibullo et Propertio aequipararent. Narbone, pulcherrima et amoenissima in urbe [2]), natus fuit *Publius Terentius Varro*, cui fluvius Atax (l'Aude) *Atacini* cognomen indidit, quique, Caesaris coaetaneus, poësi, historia et eruditione inclaruit. Poema epicum composuerat de bello Sequanico [3]), inter Sequanos et Aeduos, quorum dux Ariovistus Caesaris Commentariis illustris factus est. Ex eadem Narbonnensi Gallia Romam devenit *Titus Petronius Arbiter*. Prope Massiliam natum, cum forsan pater magistratu in Provincia fungeretur, affirmant; gens vero Petronia e Sabinis oriunda habetur. Eius *Satyricon*, Romanorum tunc temporis morum, Neronis praecipue, monumentum, haud inopportune hoc loco memoratur cum verae eloquentiae et exempla et praecepta exhibeat. Praefationem potissimum meditentur qui corruptae eloquentiae obniti student [4]).

Haec sufficiant, quum non de litteris generaliter sed de arte oratoria nobis dicendum sit.

§. 6. *Oratorium praesertim Gallorum ingenium.*

Eloquentiae laude praecipue floruerunt Galli. Meridionalis Gallia iam tum erat, uti fuit exeunte seculo decimo octavo et nostris adhuc remansit temporibus, oratorum quasi patria. Celeres ingenio, lingua celeres et fuerunt, et sunt, et erunt Galliarum cives.

Antiquam inter Gallos eloquentiae auctoritatem expressam habemus in Herculis Gallici imagine, quam Lucianus vidit, quaque corporis et ingenii vires significabantur. Pellem enim leonis suspensam gerens, clavam ferens dextra, pharetramque sinistra, senili aetate sapiens, ille Hercules homi-

1) *Ecloga* X; vide ab Heyne ad *Ecl.* VII. 72.
2) *Martial.* L. VIII, epigr. 72.
3) *Hieron. Chronic. Senec. Controv.* 16.
4) De Massiliensium studiis et de Trogo Pompeio supra, p. 3—5.

num, non invitorum sed hilarium, multitudinem, ipse ad eos vultum subridentem retorquens, auribus ducebat, tenuibus aureis catenis, quae ex eius perforata lingua extrema pendebant [1].

Vix agnoscimus Gallos quum in Diodori Siculi *Bibliotheca historica* legimus eos aspectu terribiles, voce gravissima horridos, in colloquiis fuisse verborum parcos et aenigmaticos, pleraque synecdochice proferentes. Septentrionales fortasse vidit nescio quos Franco-Gallorum avos. Propius ad veritatem describit meridionalis Galliae incolas, uti eos hodie quoque novimus, multa hyperbolice dicentes ad suam laudem, aliorum vero contemtum, minaces, superbientes et tragoedorum more declamantes [2].

Libera civitate in Imperium redacta, a rebus publicis ad artes litterasque frequentissime sese converterunt Romani. Eloquentia non evanuit quidem, sed a populi concionibus in fori tribunalia scholasque, ad causas privatas et declamationes refugit, saepiusque rhetorum et scholasticorum pallium induit. Interdum in Senatu maiores causae agebantur, circum curiam fremente et clamitante populo [3]. Ibi enim, provinciarum rectores, repetundarum aut maiestatis rei patronis gratam et utilem orandi occasionem praebebant [4]. Praeterea accedebat ut, prolatis in immensum Imperii Romani finibus, urbs Roma non amplius, ut antea, sola scientiarum

---

1) *Προσλαλιὰ ἢ Ἡρακλῆς.* c. 8.

2) *Αὐτοὶ δὲ εἰσὶ τὴν πρόσοψιν καταπληκτικοὶ, καὶ ταῖς φωναῖς βαρυηχεῖς καὶ παντελῶς τραχύφωνοι· κατὰ δὲ τὰς ὁμιλίας βραχυλόγοι, καὶ αἰνιγματίαι, καὶ τὰ πολλὰ αἰνιττόμενοι συνεκδοχικῶς· πολλὰ δὲ λέγοντες ἐν ὑπερβολαῖς, ἐπ' αὐξήσει μὲν ἑαυτῶν, μειώσει δὲ τῶν ἄλλων· ἀπειληταὶ δὲ καὶ ἀνατατικοὶ, καὶ τετραγῳδημένοι ὑπάρχουσι.* L. V, c. 31 init.

3) Vide *Tacit. Annal.* III, 10—16.

4) Vid. *Dial. de Oratt.* 5—7. et prof. *Bonnell,* commentationem historicam *De mutata sub primis Caesaribus eloquentiae Romanae condicione, inprimis de Rhetorum scholis.* Berol. 1836. p. 3—5.

et litterarum sedes esset; verum per ephemerides (Acta Senatus, Acta publica, diurna, caet.) atque per scholas et scientiarum commercium, provinciae cum Urbe novo quodam vinculo connecterentur. Inde iam provincialis sermo et urbanus, provincialis eloquentia et urbana inter se dissidere paulatim desierunt [1]). Ita factum est, quod paradoxon videri potest, ut verum Gallicae eloquentiae et rhetoricae regnum Imperatoribus regnantibus orsum sit. Tum enim, fracta Italiae libertate, exarsere animi industriosi in Galliarum provincia Romana [2]).

Vix a Caesare debellati Galli [3]) Romanos victores sermonis imperio regere susceperunt. Multos rhetores, oratoresque Romam miserunt. Mobili et alacri animo, industria excellentes, *ταῖς δὲ διανοίαις ὀξεῖς*, ut ait Diodorus Siculus [4]), fortunam prosequebantur, assequebantur. Gallos Flavius Vopiscus „gentem hominum inquietissimam vocat, avi„dam semper vel faciendi Principis vel imperii.“ [5]) Iuris-

---

1) *Westermann, Gesch. d. röm. Beredtsamkeit*, §. 78. S. 250—251. Elegantiores tamen inter doctos Romanos, qui Livii patavinitatem carpebant, provinciarum latinum sermonem naso suspendebant adunco.

2) Romae item eo tempore, rhetorum scholae magis magisque floruerunt, quod minime mirum, quamvis celeberrimus Heynius scripserit: „Mirari licet inter Romanos scholas rhetoricas tum maxime increbuisse, cum eloquentiae flos et honos dudum defluxisset, nutrimentis ex ipso rerum actu subductis, cum eius usus in rebus gerendis vix esset ullus; quandoquidem nec cum populo agebatur, in Senatu sententiae caute ac timide, non libere et diserte, dicebantur, in foro autem caussidicorum mercenariae voces sonabant. Nunc tamen rhetorum exercitationibus, suasoriis, deliberationibus, accusationibus, perstrebebant pergulae et discipulorum cathedrae: non aliter ac si mimum agerent pristinae vitae et dignitatis ii, quibus erepta erat veritas.“ (*Opuscul. Acad.* VI, 82, 83).

3) Anno U. C. 703, ante Chr. 50.

4) Lib. V, c. 31.

5) In *Saturnino* init.

prudentia, legum cognitio, litterae, eloquentia praecipue iis viam ad publica officia et honores pandebant. Praefecti praetorii, assessores, praefectorum vicarii, quaestores, provinciarum rectores fiebant qui, doctrina ornati, oratorum excellebant fama. Causidicorum genus magistratuum seminarium fuit. Inde conjicere licet quanta cura Galli oratoriam artem colerent. Ferbuit tum eruditionis opus et opus rhetorum. Mitto caeterorum multitudinem; eorum quos ad summos honores evexerunt imperatores 1), rhetores tantum et oratores prosequor. „Sola Gallia, ait D. Hieronymus 2), monstra non habuit, sed viris semper fortibus et eloquentissimis abundavit.“ Multis et insignibus professoribus scholas, causidicis forum et praetorium ornavit.

Inter hos *Vibius Gallus*, unus eloquentissimorum oratorum post Ciceronem, Romae floruit Augusti tempore, nobilemque famam adeptus est, quod magnus numerus causarum testatur quas defendendas ei commiserant clientes; frequenter enim eius sententiae leguntur in *Senecae Controversiis* „Fuit, ait hic, tam magnae olim eloquentiae quam postea insaniae. Hinc accidisse uni scio, ut in insaniam non casu incideret, sed iudicio perveniret. Nam dum insanos imitatur, dum lenocinium ingenii furorem putat, quod simulabat, ad verum redegit“ 3). In compluribus sententiis eius a Seneca allatis iam habemus exempla fucatae atque lenocinantis eloquentiae. *Oscus* quoque, vel Massiliae, vel in vicinia natus, Romam se contulit ut causas diceret. Mordax omnes dicteriis lacessebat. „Non incommode dixit, ait Seneca, sed sibi nocuit, dum nihil sine schemate dicere cupit. Ipse ab eloquentia multum aberat, natus ad contumelias omnium ingeniis inferendas“ 4). Tertius quidam Romae causidicus Massiliensis Graece declamabat, ad pugnam instructus potius

1) *Hist. littér. de la France*, I, P. I, 158, 159, 160.

2) *Epist.* 37. *Adversus Vigilantium.*

3) L. II, *Contr.* 9. ibique exemplum insaniae.

4) *Praefat. in l. V Controv.*

quam ad palaestram; Seneca enim teste, „dicebat incultа ut scires illum inter Graecos non fuisse, sententiis fortibus, ut scires illum inter Romanos fuisse“ [1].

Fortem et eloquentem Romae se praestitit Narbonensis *Votienus Montanus*, stoicus moribus et doctrina, quem Martialis „doctum“ [2], Tacitus „celebris ingenii virum“ [3] nominant, M. Annaeus Seneca „hominem rarissimi etiamsi non emendatissimi ingenii“ [4], cuiusque sententiis controversias frequenter illustrat. In hoc minime laudandus fuit Montanus quod causis disceptandis aut dicendis non eam curam et assiduitatem impenderet qua negligentiae vitia avertuntur. Interdum adeo imparatus oratoris officio fungebatur ut easdem sententias saepius adhiberet, immo ab adversario in contrariam partem dictis pro sua causa uteretur. Sic, eo die quo accusatus a Vinitio decertavit, sententias ab eo in accusatione dictas in suam actionem tam aperte transtulit ut eleganter illud dixerit Surdinus: „Rogo, numquid putas illum alteram partem declamasse?“ [5] „Habet hoc Montanus vitium (Senecae verba sunt): sententias suas repetendo corrumpit dum non est contentus unam rem semel bene dicere, efficit, ne bene dixerit. Et propter hoc et alia, quibus orator potest poëtae similis videri, solebat Scaurus Montanum inter oratores Ovidium vocare. Nam et Ovidius nescit quod bene cessit relinquere. .... Aiebat autem Scaurus rem veram: Non minus magnam virtutem esse, scire desinere, quam scire dicere“ [6]. Nisi quod ipse negligentiae accusari meruit [7], recte vidit Montanus oratorem rebus magis intentum esse debere quam concinnitati verborum, et nimis ornatae orationi

1) L. II, *Controv.* 14.
2) Lib. VIII, epigr. 72.
3) *Annal.* IV, c. 42.
4) *Controv.* l. IV, c 28.
5) *Seneca.* l. III, *Contr.* 20.
6) *Id.* l. IV, *Contr.* 28. ad finem.
7) De Ciceronis cura et praeparatione ad usum forensem ipse legendus, in *Q. Caecil. Divin.* c. 13.

fortem ac rudem anteferendam. Insigne de hac re eius responsum refert Seneca. „*Montanus Votienus*, sic narrat rhetor, adeo nunquam ostentationis declamavit causa, ut ne exercitatus quidem declamaverit. Rationem quaerenti mihi ait: Utram vis? honestam, an veram? Si honestam, nae male assuescam. Qui declamationem parat, scribit, non ut vincat, sed ut placeat. Omnia itaque lenocinia ita conquirit: argumentationes, quia molestae sunt, et minimum habent floris, relinquit; sententiis explicationibusque audientes delinire contentus est. Cupit enim se approbare, non causam. Sequitur autem hoc usque in forum declamatores vitium, ut necessaria deserant, dum speciosa sectantur" [1]. Is tum erat mos omnibus fere oratoribus communis.

Generis dicendi fortis et vehementis plura specimina exhibet Montani amicus Seneca; inter alia legatur *Controv.* l. IV, c. 25. Huius eloquentiae, propius ad naturam accedentis, generosarum sententiarum et gravitatis oratoriae fontem reperimus virtutem. De hoc oratore valet illud: *Pectus est quod disertum facit.* Senescentis enim Tiberii vitia insectatus, exsul in Balearibus insulis [2] maiestatis poenis affectus est. Post tres annos taedio confectus diem obiit. Illi non aequus Vinitius accusatoris partes apud Caesarem susceperat, a colonia Narbonnensi rogatus [3], quae sine dubio expers videri volebat, criminis dicam an virtutis? impavidi et ingenio eximii sui civis.

Eloquens sane fuit, non autem fortis, alter ille Gallus, qui Romae Tiberio, porro Caligulae, denique Neroni, accusatoriam vendidit eloquentiam industrius delator. Sub Tiberio, cum, ut ait Tacitus, „accusatorum maior indies et infestior vis sine levamento grassaretur" [4], divites nobilesque victi-

1) *Seneca Pr. in l. IV Controv.*

2) *B. Hieronymus in Euseb. Chron.* ad annum Tiberii 14. Biennio ante *Tacitus* id accidisse refert.

3) *Seneca, l. III, Controv.* 20.

4) *Annal.* IV, 66.

mas corripuit *Domitius Afer*, Nemausus, „recens praetura, modicus dignationis, et quoquo facinore properus clarescere“ [1]. Afer, ait idem, primoribus oratorum additus, divulgato ingenio et secuta adseveratione Caesaris, qua *suo iure disertum* eum appellavit, mox capessendis accusationibus, aut reos tutando, prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit.“ [2] Sicuti multa eloquentia viguit sic et summis honoribus [3]. De Afri Domitii dignitate vitae et perpetuitate famae mentio fit in *Dial. de Orat.* (cap. 13.) Tiberius ipse eum eloquentem dixit, Quintilianus summis celebravit laudibus. „Eorum quos viderim, ait, *Domitius Afer* et *Iulius Africanus* (hic e Santonis Gallica civitate oriundus) longe praestantissimi. Arte ille et toto genere dicendi praeferendus, et quem in numero veterum locare non timeas; hic concitatior, sed in cura verborum nimius, et compositione nonnumquam longior, et translationibus parum modicus“ [4]. Acrior etiam fuit in respondendo et lacessendo; exempla habes apud Quintilianum. Rursus de illo idem: „Vidi ego longe omnium, quos mihi cognoscere contigit, summum oratorem *Domitium Afrum* valde senem, quotidie aliquid ex ea, quam meruerat, auctoritate perdentem: cum agente illo, quem principem fuisse quondam fori non erat dubium, alii, quod indignum videatur, riderent, alii erubescerent: quae occasio fuit dicendi, *malle eum deficere quam desinere.* Neque erant illa qualiacunque mala, sed minora.“ [5]

Caligulae, summi oratoris gloriam sibimet tribuenti, invisum erat celebre Domitii Afri nomen. Levem accusandi causam nactus, ipse accusatoris partes suscepit, et coram Senatu longiorem orationem in eum compositam legit. Afer, quasi auditor fuisset, non reus, admiratione raptum se fingens,

---

1) *Ibid.* c. 52.
2) *Ibid.*
3) *Ibid.* XIV, 19.
4) *I. O.* X, 1, 118.
5) *Id.* XII, 11, 3.

magnopere laudavit eloquentiae vim, et orationis lepores blanda dictione explicavit. Tandem sese defendere iussus, nihil respondere, ad pedes imperatoris prostratus, precibus et lacrimis veniam petere ab eloquentiae magis quam ab Imperii principe. Caligula illum devictum sibi eloquentiae palmam relinquere ratus, mollita ira, absolutum dimisit astutum adulatorem [1].

De Testimoniis in iudiciis libros duos composuit Afer, sufficientes in hanc rem, Quintiliani iudicio, qui illum adolescentulus senem coluit [2].

Quum tota Gallia Reipublicae Romanae adiuncta eique civitatis iura data fuissent, Gallorum multi, acres et industrii in rebus gerendis, prompto confisi ingenio et eloquentia, Romam se conferebant, et si quid ageretur maioris momenti, intererant. Magna iam adepti, maiora concupiscebant. Ita factum est, narrante Tacito [3], ut Claudio Caesare, „quum de supplendo senatu agitaretur, primores Galliae quae *Comata* appellatur, foedera et civitatem Romanam quidem adsecuti, ius adipiscendorum in urbe honorum expeterent. Multus ea super re variusque rumor, et studiis diversis apud principem certabatur.“ Invidiae sermonibus [4]) permotus princeps, vocato senatu, statim contra disseruit [5]. Inter alia in memoriam revocavit *insignes viros e Gallia Narbonensi Romam transivisse* [6]. „Orationem principis secuto patrum con-

---

1) *Dio Cassius* l. LIX, 19.

2) *Iust. Or.* V, 7, 7; vid. et VI, 3, 42. et *Plinii Epist.* II, 14, 10—12.

3) *Annal.* XI, 23.

4) Vide *ibid.*

5) *Ibid.* c. 24.

6) Memorabili sententia in orationis fine novum consilium tuitus est: „*Omnia*, P. C., *quae nunc vetustissima creduntur, nova* „*fuere:* plebeii magistratus post patricios: Latini post plebe- „ios: caeterarum Italiae gentium post Latinos. *Inveterascet* „*hoc quoque: et quod hodie exemplis tuemur, inter exempla* „*erit.*“

sulto, primi Aedui senatorum in urbe ius adepti sunt: datum id foederi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpabant" [1]). Affirmante Tacito, non quidquam publicae mercis tam venale fuit tunc quam advocatorum perfidia. In utramque partem disputatum in Senatu, ab aliis ne quis ob causam orandam pecuniam donumve acciperet; ab aliis ne, sublatis studiorum pretiis, etiam studia perirent. Claudius tandem „capiendis pecuniis posuit modum, usque ad dena sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur." [2]) Obiter notandum Claudium, doctissimum Imperatorum primi seculi, natum et puerum educatum fuisse in Gallia.

De *Valerii Asiatici*, Viennae in Gallia geniti, singulari eloquentia testimonium haud dubium reddit Tacitus. Amore Poppaeae Messalinam offenderat, quae praeterea hortis inhiabat quos ille ditissimus, a Lucullo coeptos, insigni magnificentia extollebat. Suilium accusando ei immittit, qui per speciem benevolentiae moneret Claudium. „Valerius, vinclis inditis, in urbem raptus. Neque data senatus copia: intra cubiculum auditur, Messallina coram." Crimina obiectat Suilius. Ecce eloquentiae summa vis! Ingressus defensionem Valerius commovet maiorem in modum Claudium, Messalinae quoque lacrimas excivit: quibus abluendis cubiculo egrediens, monet Vitellium, ne elabi reum sineret. Condemnato liberum mortis arbitrium permissum. Lauto corpore, hilare epulatus, venas exsolvit: viso tamen ante rogo iussoque transferri partem in aliam, *ne opacitas arborum vapore ignis minueretur* [3]).

Plura apud Tacitum aliosque historicos Gallicae eloquentiae obvia exempla exhibere supervacuum foret.

Non tantummodo in advocatorum, aut in eorum numero qui oratorum officio fungebantur, eloquentes Galliae homines

---

1) Ib. c. 25.

2) *Tac. Ann.* XI, c. 5—7. 520 Thaler, 24 Gr. 6 Pf.

3) *Annal.* XI, 1—3.

quaerendi sunt. Oratorii ingenii exempla fortasse magis ingenua reperimus in quibusdam publicis coetibus ubi viri, naturali eloquentia praediti, quum loquerentur agere potius videbantur. Tales exstiterunt anno septuagesimo post C. N. *Tullius Valentinus* et *Iulius Auspex*. Dissensione inter Vitellium et Vespasianum orta, Galliarum civitates Remos convenere deliberaturae an Romanorum iugum frangerent suamque libertatem assererent. Tum, libertatis spiritu dominationem respuente, ultimum exarsit, non rhetorum, sed pectoris eloquentia. Treverorum legatio illic opperiebatur (ita legimus apud Tacitum), acerrimo instinctore belli *Tullio Valentino*. Is meditata oratione, cuncta, magnis imperiis obiectari solita, contumeliasque, et invidiam in populum Romanum effudit; turbidus miscendis seditionibus et plerisque gratus vecordi facundia. At *Iulius Auspex*, e primoribus Remorum, *vim Romanam, pacisque bona* dissertans et *sumi bellum etiam ab ignavis, strenuissimi cuiusque periculo geri, iamque super caput legiones*, sapientissimum quemque reverentia fideque, iuniores periculo ac metu continuit. Et Valentini animum laudabant, consilium Auspicis sequebantur [1].

Aliud eloquentiae exemplum narrans exponit idem Tacitus, ex Helvetiis, Gallica tum gente. De caede Galbae ignari et Vitellii imperium abnuentes, Caecinae turbidum ingenium irritaverant. Vastati agri, direpta municipia, „multa hominum milia caesa, multa sub corona venumdata. Quumque, dirutis omnibus, Aventicum, gentis caput, iusto agmine peteretur, missi qui dederent civitatem: et deditio accepta. In Iulium Alpinum, e principibus, ut concitorem belli, Caecina animadvertit: ceteros veniae vel saevitiae Vitellii reliquit. Haud facile dictu est, legati Helvetiorum minus placabilem imperatorem, an militem invenerint: civitatis excidium poscunt, tela ac manus in ora legatorum intentant. Ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat; quum *Claudius Cossus*, unus ex legatis, notae facundiae, sed dicendi artem apta trepidatione

1) *Tacit., Hist.* l. IV, c. 68 et 69.

occultans, atque eo validior, militis animum mitigavit: ut est mos vulgo; mutabile subitis, et tam pronum in misericordiam, quam immodicum saevitia fuerat: effusis lacrymis, et meliora constantius postulando, impunitatem salutemque civitati impetravere.“ [1]).

§. 7. *Genus eloquentiae.*

Exstincta libertate exstincta sunt eloquentiae fulmina. Non amplius liberae reipublicae vigore animosa, timide confugit in curiam et fori tribunalia: illic causae politicae, hic privatae patronis satis materiae praebebant. Sed praeterlapsum erat tempus quo Cynaeas Senatum ut regum consessum aspexit. Coram coetu admodum diverso oratoribus tum orandum erat. „Memoriae proditur Tiberium, quoties curia egrederetur, eloqui solitum: „O homines ad servitutem paratos!“ Scilicet, ait Tacitus, etiam illum qui libertatem publicam nollet, tam proiectae servientium patientiae taedebat.“ [2]) At etiam in foro maiora negotia olim exercebantur, tum vero centumvirales causae primum obtinuerunt locum [3]). De parietibus et stillicidiis haud dubie summa loquebantur libertate, non item de laesae maiestatis criminibus coram Senatu. „Utere, inquit Maternus, antiqua libertate, a qua vel magis de- „generavimus quam ab eloquentia.“ [4]) Sub Imperatoribus, magis magisque mutescente servitute, pristinus splendor rerum et magnitudo causarum oratores deficiebant. Non coram populo sed velut in solitudine res agebantur [5]). Auditores

1) *Tacit. Histor.* l. I, c. 67—69.

2) *Annal.* III, 65.

3) *Dial. de Orator.* c. 38. *Plinii Epist.* II, 14. In centumviralibus causis, uti Cicero nos docet „usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilium iura versabantur.“ *De Orat.* l. I, c. 38.

4) *Dial. de Orat.* 27, sub finem.

5) *Ib.* 39.

allicere eorumque mentes attentas tenere summae videbatur difficultatis. Hinc novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus fuit per quae orator fastidium aurium effugeret. Hinc oratorum aetas ornatior exstitit; ut efficaciores essent orationes, ad aures iudicantium maiore cum voluptate pervenire debebant [1].

Non ita multos annos post conversam in Imperium Rempublicam, fucata potius quam ornata, eloquentia a pristina et virili forma descivit. Pro libertatis succo et sanguine subiit tumidior aspectus et effeminatus incessus. Nimiam verborum abundantiam, elegantiarum curiosam concinnitatem, sententiarum et verborum lusus, eloquentiam appellabant. A simplici antiquorum aberrantes ratione loquendi oculos orationis toto esse corpore volebant [2]. Famam suam non causas curabant oratores, de victoria quam de plausu minus solliciti. „Agere causas, non ad utilitatem litigatorum, sed ad patronorum iactationem repertum est," ait Quintilianus [3]; additque alio in loco: „Plerisque moris est, probato rerum ordine protinus utique in aliquem laetum ac plausibilem locum, quam maxime possint favorabiliter excurrere." [4] Persius quoque hanc ostentationem perstringit:

Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire: decenter! [5]

In ipso foro delectabantur oratores fictarum causarum lenociniis quae in vanis declamationibus vix tolerari poterant. Uno verbo, in locum eloquentiae rerum publicarum successit eloquentia scholarum [6]. Enervata, mollis, scenica pronun-

---

1) *Ib.* 19 et 20. Vid. et *W. Adolf Schmidt*, *Gesch. der Denk- und Glaubensfreiheit im 1. Jahrh.* Berlin, 1847. S. 416—418.

2) Vid. *Quintil. I. O.* VIII, 5, 34.

3) *Inst. Orat.* IV, 8.

4) *Inst. Orat.* IV, 2.

5) *Satyr.* I, 82, 83.

6) *Westermann*, *Gesch. der römischen Beredtsamkeit.* Leipzig 1835. §. 77. *Kunst- und Schulberedtsamkeit.* S. 248—250. De

ciatio, canticis haud absimilis, fractae et elumbi eloquentiae congruens praevaluit Quintiliani tempore, eique bilem movit. „Quodcumque vitium, inquit, magis tulerim, quam quo nunc maxime laboratur in causis omnibus scholisque, cantandi: quod inutilius sit an foedius, nescio. Quid enim minus oratori convenit, quam modulatio scenica, et nonnunquam ebriorum aut commissantium licentiae similis?" [1])

Huic degeneri eloquentiae conveniens mos tunc obtinuit quem eodem loco insignit Seneca. Oratores „laudationibus crebris sustinentur, ait, et memoria eorum assuevit certis intervallis quiescere. Cum ventum est in forum, et desiit illos ad omnem gestum plausus excipere, aut deficiunt, aut labant. Adiice nunc, quod ab aliis nullius interventu excutitur. Nemo ridet, nemo ex industria obloquitur: familiares sunt omnium vultus. In foro, ut nihil aliud, ipsum illos forum turbat." [2]) De illo plaudendi more insignis narratio apud Tertullianum *contra Valentinianos*: „In Esolis Carthaginiensibus fuit rigidissimus rhetor Latinus Phosphorus nomine: cum virum fortem peroraret, Venio, inquit, ad vos, optimi cives, de proelio cum victoria mea, cum felicitate vestra ampliatus, gloriosus, fortunatus, maximus, triumphalis, et Scholastici statim familia Phosphori φεῦ acclamavit." Hunc morem classico loco illustrat Plinius iunior. „Hercule, ait, ante memoriam meam (maiores natu ita solent dicere) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo Consulari producente: tanta veneratione pulcherrimum opus celebrabatur. Nunc refractis pudoris et reverentiae claustris, omnia patent omnibus. Nec inducuntur, sed irrumpunt. Sequuntur auditores actoribus similes, conducti et redempti

---

immutata sub Imperatoribus eloquentia docte et diserte disseruit prof. *Bonnell* in Commentatione historica (supra p. 12. iam citata) p. 2—12.

1) *I. O.* l. XI, 3, 57. Vide finem loci Pliniani L. II Ep. 14. mox afferendi.

2) *Controv.* L. IV, Prooem.

mancipes: convenitur in media basilica, ubi tam palam sportulae, quam in triclinio dantur. Ex iudicio in iudicium pari mercede transitur [1]). Inde iam non inurbane Σοφοκλεῖς vocantur [2]): iisdem Latinum nomen impositum est, *laudicoeni*. Et tamen crescit indies foeditas, utraque lingua notata. Heri duo nomenclatores mei (habent sane aetatem eorum qui nuper togas sumpserunt) ternis denariis ad laudandum trahebantur. Tanti constat ut sis disertissimus. Hoc pretio quamlibet numerosa subsellia implentur, hoc ingens corona colligitur: hoc infiniti clamores commoventur, cum μεσόχορος [3]) dedit signum. Opus est enim signo apud non intelligentes, ne audientes quidem: nam plerique non audiunt, nec ulli magis laudant. Si quando transibis per Basilicam, et voles scire quomodo quisque dicat, nihil est quod tribunal ascendas, nihil quod praebeas aurem, facilis divinatio. Scito eum pessime dicere, qui laudabitur maxime.

„Primus hunc audiendi morem induxit Largius Licinius, hactenus tamen, ut auditores corrogaret. Ita certe ex Quintiliano, praeceptore meo, audisse memini. narrabat ille: Assectabar Domitium Afrum, quum apud centumviros diceret graviter et lente (hoc enim illi actionis genus erat) audiit ex proximo immodicum insolitumque clamorem; admiratus reticuit; ubi silentium factum est, repetit quod abruperat: iterum clamor, iterum reticent: et post silentium coepit idem tertio. Novissime quis diceret, quaesivit, responsum est, Licius. Tum intermissa causa, *Centumviri*, inquit, *hoc artificium periit*. quod alioqui perire incipiebat, quum periisse Afro videretur: nunc vero prope funditus exstinctum et eversum est. Pudet referre, quae, quam fracta pronunciatione dicantur; quibus, quam teneris clamoribus excipiantur. Plau-

---

1) Quatuor iudicia fiebant in Basilica Iulia ubi erant totidem tribunalia.

2) Qui dicentibus solebant adulari clamabant σοφῶς.

3) „Le chef des claqueurs," uti in theatris Parisiensibus vocatur.

sus tantum ac sola cymbala et tympana illis canticis desunt, ululatus quidem (neque enim alio vocabulo potest exprimi, theatris quoque indecora laudatio) large supersunt. Nos tamen adhuc et utilitas amicorum, et ratio aetatis moratur ac retinet. Veremur enim ne forte non has indignitates reliquisse, sed laborem refugisse videamur." [1]

Causas corruptae eloquentiae *Dialogi de Oratoribus* scriptor quatuor persequitur; 1) negligentiam parentum in puerorum educatione; 2) desidiam adolescentium qui non amplius, ut olim, in omnibus eruditionis et philosophiae disciplinis sibi comparandis iuvenilem aetatem exercebant; 3) exercitationes in rhetorum scholis, non vero, ut apud antiquos, in foro, duce insigni quodam oratore; 4) pro libertatis ardore, silentem servitutem.

Attamen sub Imperatoribus quoque excellentes ingenii dotibus exstiterunt oratores, quorum nonnullos inter Gallos iam agnovimus. Ipsi Caesares eloquentiae, non autem illi antiquae, libertatis spiritu ferventi, honorem tribuebant, eorumque complures Augustus, Claudius, Nero, Galba, Otto, Traianus dicendi artis haud expertes fuisse traduntur; in Senatu, ad milites, coram populo, eos facunde locutos legimur.

Tunc oratores, causarum patroni, incitabantur acquirendis divitiis. Sicuti luxus et morum corruptio, ita indies crescebant lites, laboris forensis praemia augebantur. „Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines ac tituli et statuae, quae neque ipsa tamen negliguntur, tam hercule quam divitiae et opes, quas facilius invenies qui vituperet, quam qui fastidiat. His igitur et honoribus et ornamentis et facultatibus refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentia causis forensibus et oratorio studio dederunt. Sic auctor *Dial. de Orat.* [2]) Ideo Martialis Valerium Flaccum poëtam monet, ut relicta Musarum paupertate, in foro honorem et divitias acquirere studeat:

---

1) Lib. II. *Epist.* 14.
2) c. 8.

Romanum propius divitiusque forum est,
Illic aera sonant: at circum pulpita nostra
Et steriles cathedras basia sola crepant [1]).

Nec ingenia defuere; illustriorum nomina laudat Quintilianus, additque: „Sunt alii multi diserti, quos persequi longum est.“ Rursusque: „Habebunt qui post nos de oratoribus scribent, magnam eos, qui nunc vigent, materiam vere laudandi. Sunt enim summa hodie, quibus illustratur forum, ingenia. Namque et consummati iam patroni veteribus aemulantur, et eos iuvenum ad optima tendentium imitatur ac sequitur industria“ [2]).

De Rhetorum meritis primo post liberam Rempublicam saeculo, in utramque partem disputari et potest et debet. Antiquam oratoriam in foro educationem, rhetorum scholae nullo mudo aequaverunt. In harum scholarum umbraculis ludicrae facundiae certamina sanctam liberae eloquentiae imaginem, pridem mentibus insitam, deformaverunt. Declamationum olim felicem rationem pessimo usu depravarunt magistri in quos merito invehitur *Petronius*, initio *Satyrici*.

Quemadmodum in foro vel curia, sic in scholis sententiis argutis tantummodo, immodicis, subtiliter dictis, a naturali simplicitate abhorrentibus applaudebatur. Rhetorum multi, extra naturam vagantes pro sanitate tumorem, pro animi maiestate ampullas haberi volebant. Exempla apud Senecam rhetorem [3]). Ista vero eloquentiae corruptio non tam in rhetorum scholis nata est quam e corrupto Reipublicae statu in eas manavit [4]). *Cornificius*, *Cornelius Celsus*, *Columella*, qui non solum de arte rustica, de arte medica aliisque disciplinis scripsit sed de arte dicendi libellum edidit, prioris aevi elegantiam retinere studuerunt. Summus vero in hac doctrina, aequalibus superior, Ciceroni fere par, e Hispania

1) L. I, ep. 77.
2) *I. O.* L. X, c. 1 §. 118—122.
3) *Controvers.* L. V, praefat.
4) Vide supra p. 22 et *Bonnell*, *De mutata* etc. p. 12.

oriundus, *Marcus Fabius Quintilianus* primus Romae scholam rhetoricam aperuit publicam et salarium e fisco accepit[1]. Is tota mente, totis viribus calamistratae barbariei obnisus, oratores iuvenesque ad purum et severum dicendi genus revocavit. Duodecim suis ab omni parte commendandis libris *Institutionum oratoriarum* meruit Martialis allocutionem:

Quintiliane, vagae moderator summe iuventae,
Gloria Romanae, Quintiliane, togae[2];

Cuius de laudibus tacere quam meritis inferiora proferre malim. Unum dixisse sat erit: Quintilianus, ut eloquentiae corruptioni resisteret, morum corruptioni pro viribus obstitit; Catonis maioris exemplo oratorem virum bonum dicendi peritum esse volebat, ipse vir bonus, atque magnifico doctrinae aedificio morale fundamentum substruxit[3].

Ante hunc alius Hispanus, Cordubae natus, *M. Annaeus Seneca*, rhetor, scriptis suis, quorum quaedam partes tantum, mutilae, usque ad nostram aetatem pervenerunt[4], oratorum qui felicissima Reipublicae aetate floruerunt, quosque novit et audivit, vivam expressit imaginem, dictaque et scripta acri iudicio dilucidavit et ipse praestantissimorum aemulus exstitit. In *Suasoriis*, magisque in *Controversiis*, rhetorum dispu-

---

1) *Hieron. in Chron. Euseb.* a. 88.

2) L. II, ep. 90.

3) *Westermann, Gesch. d. röm. Beredtsamk.* §. 80, S. 258—260.

4) Eius „Latina ad nos pervenerunt manca, confusa, perturbata, et ubique tam male sunt habita, ut si redire liceret auctori, ipse sua esse eiuraret.“ Sic *Funccius, de Imminente L. L. senectute*, c. VI §. 12. Propius ad veritatem mihi videtur disputasse *Bonnell* (p. 22): „Hic vir eximia memoria excellens, qui ipse se de confessus est, se omnes magni in eloquentia nominis sibi videri audisse, iam aetate provectus, quae memoriae eius nondum elapsa erant egregie ab his dicta, collegit, et *sine certo ordine passim quidquid obvenerat apprehendens*, admonitus a filiis . . . . edidit.“ Vide ipsum Senec. *Proem. l. I Contr.*

tationes activamque vitam oculis nostris quodammodo subiicit [1]. Is quoque, sicuti Quintilianus, ingenia et studia intra sanitatis et sincerae naturae fines continere annisus, eloquentiae virtutisque gloriam coniunctam esse censebat.

Non ita multo post commutatam Reipublicae formam, commutari coepit eloquentia. Ad facundiam concinna novitate splendentem propensi apparuerunt oratores. Lato Ciceronis flumini praeferebant rivulos murmurantes aut super lapillis crepitantibus fluentes; fortibus sensibus, acumina et inter se certantes *ἀντιθέσεις*. Ipsam linguam novis illecebris ornare voluerunt. „Verborum figurae, ait Quintilianum, et mutatae sunt semper, et utcunque valuit consuetudo, mutantur. Itaque si antiquuum sermonem nostro comparemus, paene iam, quidquid loquimur, figura est [2].“ „Ita enim natura comparati sumus, scripsit Wyttenbachius, ut optima quaeque longo usu nobis sordescant, et nova deinceps alia ex aliis cupiamus. Quare, vera sanaque eloquentia quum similitudine ac simplicitate naturae constitisset, fuerunt levis ingenii homines, qui, taedio constitutae rationis et ignorantia recti, novum et mirabilius quaererent genus. Quod genus quum in publicum proderetur, patronam invenit multitudinem, ut imperitam ita novitatis admiratricem. Hoc est illud acuminis et argutiarum studium, quod Florum aliosque cepit, quod prudentes etiam viros Velleium, Senecam et utrumque Plinium infecit [3].“ Inter novitatis studiosos scriptores primas obtinuit Marci Annaei Senecae rhetoris filius, *Lucius Annaeus Seneca*, philosophus. Hic ingenii acumine, festivis et arte compositis sententiis, scriptorum varietate, summa animos regundi cupiditate, immoderata vanitate, Gallo Voltaire haud absimilis, una in re longe abfuit ut ad huius gloriam accederet. Luculentissimo pulchri sensu praeditus Voltaire,

---

1) De Suasoriis et Controversiis plene scripsit *Bonnell.* p. 19—29. Cf. *Dial. de Oratt.* c. 35.

2) *I. O.* L. IX, c. 3. init.

3) *Bibl. crit.* P. V, sive Vol. II, P. I, p. 11 et 12.

classicorum scriptorum sive antiquitatis sive Galliae admirator, purae et elegantis litterariae doctrinae exstitit custos inque omnibus ingenii provinciis naturae sacerdos. Seneca vero, multis in partibus neglecta pulchri norma iuvenumque mentes argutis et effulgentibus sententiis alliciendo saepe et corrumpendo, semetipsum novarum elegantiarum exemplum proposuit. Egregio iudicio Quintilianus Senecae et merita laudat et dulcia vitia quibus abundat carpit [1]. „Potiores, ait, ille non destiterat incessere, cum diversi sibi conscius generis, placere se in dicendo posse, quibus illi placerent diffideret." Eodem modo Suetonius: „Neronem avertit . . . a cognitione veterum oratorum Seneca praeceptor, quo diutius in admiratione sui detineret [2]."

Complurium opinione [3] corruptum eloquentiae genus e provinciis, Hispania praesertim, emanavit. At contra est. „Quis enim ignorat, ait Messala in *Dialogo de Oratoribus*, et eloquentiam et caeteras artes descivisse ab illa vetere gloria non inopia hominum, sed desidia iuventutis et negligentia parentum et inscitia praecipientium et oblivione moris antiqui? Quae mala primum in Urbe nata, mox per Italiam fusa, iam in provincias manant [4]." Tantum abest ut provinciae Romanam eloquentiam corruperint, ut potius ex Hispania oriundi, quos nominavimus rhetores consuetudinem corruptam et vitiosam praeceptis emendare conarentur, orationibus autem tum temporis *Portius Latro*, *Cornelius Hispanus* aliique, quorum eloquentiae permulta exempla in *Senecae Suasoriis* et *Controversiis* celeberrimi eessent. Hispania enim sicut Gallia,

---

1) *I. O.* L. X, c. I § 125—131.

2) *Nero*, c. 52. Iustitia et aequabilitate insigne iudicium de L. Seneca legere est apud *Westermann*, *Gesch. d. röm. Beredtsamkeit* §. 82 et 84.

3) Praesertim *Tiraboschi*, *Storia della letteratura italiana*, nuova ediz. Firenze 1805, T. II, P. I, p. 117 nota.

4) C. 28.

magnum oratorum numerum protulit ibique eximii patroni et pecuniam et dignitatem acquirebant[1].

§. 8. *Rhetorum scholae in Gallia.*

Sicuti Romae, ita in Galliis scholarum tres gradus. Pueri grammaticos adibant qui eos primis litterarum elementis imbuerent et rhetoricae praeluderent. Sub rhetoribus autem iuvenes studiis, quae nos generalia vocamus, operam navabant ut eloquentiae potissimum artem discerent, atque ad omnia publicae vitae genera praepararentur. Sed is rectus studiorum ordo non semper servabatur. „Rhetores, utique nostri, ait Quintilianus, suas partes omiserunt, et grammatici alienas occupaverunt ... Hinc ergo accidit, ut, quae alterius artis prima erant opera, facta sint alterius novissima: et aetas, altioribus iam disciplinis debita, in schola minore subsideat, ac rhetoricen apud grammaticos exerceat[2].“ E his scholis, qui dicendis causis curam impendere cuperent ad iurisprudentiae legumque studium progrediebantur, qui vero scientiae purae nec pecuniosae imaginem menti infixam tenebant, philosophiae totis animi viribus sese addicebant.

In Gallia, prout temporis et gentis indoles erat et dominorum politica calliditas, rhetorum praecipue scholae magna existimatione floruerunt.

Haud nescientes Imperatores quam facile tolerando imperio assuescant hominum mentes institutis humanioribus et praemiis quae ingenio offeruntur, quantumque gentem loquacitate et eloquentia insignem ab armis et tumultibus ad pacificam arenam avocent facundiae certamina; intenti vero ad Romanum sermonem propagandum, eoque maiorem fidem erga rem Romanam conciliantes, primum publicas omnino scholas rhetorum in Gallia instituerunt, immo academias uti hodie dicere solemus.

Sapienter constitutum fuisse studiorum ordinem in illis

1) *Senec. Controv. L. V, praef.* sub finem.

2) *I. O.* II, 1, 1 et 3.

scholis coniectura colligere nobis licet e magno numero Gallorum in rebus militaribus et civilibus Imperii Romani magnis, immo summis muneribus functorum. Quamvis eorum multi non litteris celebritatem sibi conciliarent, non dubitandum eos e scholis ad res gerendas transivisse. Hac etiam ratione Imperatores studiorum vinculo Gallorum fidelitatem sibi ac Romano Imperio devinxerunt. Sub Tiberii regno Augustoduni (Autun) in capite Aeduorum, nobilissima Galliarum suboles liberalibus studiis operabatur [1].

Similes scholas Caligula Vesontii et Lugduni institui curavit. Eloquentiae praemia proposuit idem princeps, verum quae mentem haud sanam arguerent. Lugduni certamen Graecae Latinaeque facundiae prope Augusti aram constituerat, „quo certamine (ita narrat Suetonius [2]) ferunt vitcoribus praemia victos contulisse, eorundem et laudes componere coactos. Eos autem qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere iussos nisi ferulis obiurgari aut flumine proximo mergi maluissent.“ Inde illud Iuvenalis:

Sic
Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram [3].

His causis et institutis factum est ut, quum eloquentia Romae langueret, eloquentiae laudem acquireret Gallia. Ideo *Iuvenalis* causidico „in tenui panno.“ suadet:

Accipiat te
Gallia, vel potius nutricula causidicorum Africa [4]

Adeo celebres tunc erant Galli rhetores ut Britanni eos audirent, teste eodem poëta:

Gallia causidicos docuit facunda Britannnos [5].

---

1) *Tacit. Ann.* III, 43.

2) *Caligula* c. 20.

3) *Sat.* I, 44. Academia Caligulae exstabat ubi postea aedificata fuit abbatia *Aisnay*, ex *Athenaeo* detortum nomen. *Du Saulx trad. de Iuvénal*, p. 24.

4) *Sat.* VII, 147—149.

5) *Sat.* XV, 111.

Exercitationes apud rhetores ad vera oratorum certamina non satis anommodatae fuerunt. In istis ludis litterariis ludere potius quam pugnare iuvenes discebant; veram oratoriae pugnae imaginem non intuebantur, ita ut postea declamationum ludicrum modum ad veras causas transferrent, atque imbelles et fictitios adversarios impugnare assueti, cum pugnacibus manum consere vix auderent. Fori tunc ipse aspectus eos terrebat. De qua re optime *M. Annaeus Seneca:* „Accedit etiam illud quod adversarios quamvis fatuos fingunt: respondent illis et quae volunt et cum volunt. Praeterea nihil est quod errorem aliquo damno castiget: stultitia eorum gratuita est. Vix itaque in foro futurus periculosus - stupor discuti potest: qui crevit, dum tutus est.“ Seneca eam vituperationem confirmat exemplo rhetoris tunc admodum celebris: „Declamatoriae virtutis *Latronem Porcium* unicum exemplum, cum pro reo in Hispania Rustico Porcio propinquo suo diceret, usque eo esse confusum, ut a soloecismo inciperet: nec ante potuisse confirmari, tectum ac parietes desiderantem, quam impetravit, ut iudicium ex foro in basilicam transferretur. Usque eo ingenia in scholasticis exercitationibus delicate nutriuntur, ut clamorem, silentium, risum, caelum denique pati nesciant. Non est autem utilis exercitatio, ni quae operi simillima est illi ad quod exercet: itaque durior solet esse vero certamine. Gladiatores gravioribus armis discunt, quam pugnant: diutius illos magister armatos, quam adversarius sustinet. Luctantes binos simul ac ternos fatigant, ut facilius singulis resistant. Cursores, quod intra exiguum spatium de velocitate eorum iudicetur, id saepe in exercitatione decurrunt quod semel decursuri sunt in certamine. Multiplicatur ex industria labor quo condiscimus, ut levetur quo decernimus. In scholasticis declamationibus contra evenit: omnia molliora et solutiora sunt, in foro partem accipiunt, in schola eligunt. Illic iudici blandiuntur: hic inserviunt, illic inter fremitum circumsonantis turbae intendendus animus est, vox ad aures iudicis perferenda est: hic ex vultu dicentis pendent omnium vultus. Itaque velut ex

umbroso et obscuro prodeuntes loco, clarae lucis fulgor obcaecat: sic istos a scholis in forum transeuntes, omnia tanquam nova et inusitata perturbant: nec ante in oratorem corroborantur, quam multis perdomiti contumeliis, puerilem animum, scholasticis deliciis languidum, vero labore durarunt [1]).“

In scholis, praeterea, rhetorum, non ut olim, veris causis, instituebantur iuvenes ad fori verum certamen, sed fictitiis ad certaminis simulacrum. Huius generis argumenta leguntur in *M. Senecae Suasoriis et Controversiis* ut et in Pseudo - *Quintiliani Declamationibus.* Quum de lege controversia esset, sibi vel antiquatam proponebant vel aliquam fingebant, ad praesentes et vigentes ne alludebant quidem. Earum disputationum ad vitam civilem nullus fere usus: ingenii acies acuebatur, sed nec pro patria, nec pro iure, nec in hostem.

Inter locos communes qui in rhetorum scholis tractabantur notandae sunt laudes vel censura virorum historiae annalibus notorum; orationes morientis Catonis, vel ad Sullam ut se a dictatura abdicaret; declamationes tandem frequentissimae contra tyrannos vel in honorem tyrannicidarum.

Declamare doces, o ferrea pectora Vetti,
Cum perimit saevos classis numerosa tyrannos,

exclamat Iuvenalis [2]).

Ita libertas e civili hominum societate atque ex orationibus fori et curiae in litterarum ludos confugerat et ipsa quasi ludens et iuvenilis tolerabatur, donec e schola transiret in forum, a magistri sceptro ad civium gladios [3]).

Quales Romae constitutae scholae fuerunt, tales haud dubie in Gallia, itaque de his quoque valent quae de illis retulimus. Primo enim seculo, rhetorum scholae, in quibus filii

---

1) Lib. IV, *Controv.* prooem.
2) *Sat.* VII, 150, 151.
3) Vid. *W. Ad. Schmidt*, *Gesch. d. Denk- und Glaubensfreiheit.* 419—428, et *Bonnell*, p. 27—30.

nobilium, divitum et ingenuorum qui in numero et existimatione apud cives erant, instituebantur, per totum imperium, in Galliis plurimae fundatae fuerunt. Quo vero maiore honore fruebantur rhetores, eo attentiore suspicione eos observabant Imperatores pessimi. Caligula Carrinatem Secundum in exsilium misit quod contra tyrannos declamaverat [1]. Neroni professores suspecti, quippe illustres, ideoque invisi: „Verginium et Rufum, ait Tacitus, claritudo nominis expulit. Nam Verginius studia iuvenum eloquentia, Musonius praeceptis sapientiae fovebat [2].“

Rhetorum qui privatim aut publice in Gallia docuerunt complura nomina legimus apud scriptores antiquos. *Apollodorus Pergamenus*, a quo Apollodoreorum secta, Augusti praeceptor, ob veneficium damnatus Massiliae docuit [3], graeca lingua [4]. *Pacatum*, Osci contemporaneum, rhetorem in urbe Massilia memorat Seneca [5]. *Clodium Quirinalem*, Arelatensem, qui creditur in Massiliae scholis primo tempore rhetoricam professus fuisse, „Romae insignissime docuisse,“ secundo Claudii regni anno, testatur B. Hieronymus [6]. Eodem teste [7], *Statius Surculus*, Tolosanus, Neronis tempore, in Galliis celeberrimus rhetor fuit. *Sextus Iulius Gabinianus*, cuius vitam Suetonius scripserat in parte libri *de Claris Rhetoribus* quae interiit, celeberrimi nominis rhetor in Gallia docuit, uti le-

---

1) *Dio Cass.* LIX, 20; *Iuven. Sat.* VII, 203—205.

2) *Annal.* XV, 71. De Verginio rhetore Quintil. multis in locis. Vid. et *Schmidt.*

3) *Senec.* L. II, *Controv.* 13.

4) *Sueton.* in *August.* c. 89: „Nae Graecarum quidem disciplinarum leviore studio tenebatur: in quibus et ipsis praestabat largiter, magistro dicendi usus Apollodoro Pergameno, quem iam grandem natu, Apolloniam quoque secum ab urbe iuvenis adhuc eduxerat.“

5) *Controv.* L. V proeem.

6) *Chron.* L. II.

7) *Ibid.*

gere est apud B. Hieronymum [1]. In *Dialogo de Oratoribus* item: „Quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut sese ante Ciceronem nominet: sed plane post Gabinianum?“ [2] De eius oratoria indole idem Hieronymus: „Qui si flumen eloquentiae et concinnas declamationes desiderant, legant Tullium, Quintilianum, Gallionem, Gabinianum.“ [3] Ita saepe rhetores oratorum quoque nomine inclaruerunt. Oratores vicissim quidam rhetorica discipulos instituebant. Talis *Iulius Florus*, primo Romae, Augusti et Tiberii tempore, advocatus causas dixit [4]. Is, patruus Iulii Secundi, demum exercuit eloquentiam, in qua Galliarum princeps fuit, ut ait Quintilianus, „alioqui inter paucos disertus et dignus illa propinquitate.“ Ibi etiam artem professus est suam. Exemplum eius doctrinae idem exponit Quintilianus. „Is cum Secundum, scholae adhuc operatum, tristem forte vidisset, interrogavit, quae causa frontis tam adductae? nec dissimulavit adolescens, tertium iam diem esse, quod omni labore materiae ad scribendum destinatae non inveniret exordium: quo sibi non praesens tantum dolor, sed etiam desperatio in posterum fieret. Tum Florus arridens, *Numquid tu*, inquit, *melius dicere vis quam potes?* Ita se res habet, addit, M. Fabius. Curandum est, ut quam optime dicamus: dicendum tamen pro facultate.“ [5] Flori nepos, *Iulius Secundus*, aequalis Quintiliani et ab eo familiariter amatus, „mirae facundiae vir fuit, infinitae tamen curae quid esset sibi a patruo suo dictum.“ [6]. „Iulio Secundo, ut idem testatur Quintilianus, si longior contigisset aetas, clarissimum profecto nomen oratoris apud posteros foret. Adiecisset enim, atque adiiciebat ceteris virtutibus suis, quod desiderari

---

1) *Euseb. Chron.* Olymp. CCXIII.
2) Cap. 26.
3) *Praef.* 8 *in Esaiam.*
4) *Seneca* l. IV, *Controv.* 25.
5) L. X, c. 3, §. 13—15.
6) *Ib.* §. 14.

potest. Id est autem ut esset multo magis pugnax, et saepius ad curam rerum ab elocutione respiceret. Ceterum interceptus quoque magnum sibi vindicat locum. Ea est facundia, tanta in explicando, quod velit, gratia; tam candidum et lene et speciosum dicendi genus; tanta verborum, etiam quae assumpta sunt proprietas; tanta in quibusdam ex periculo petitis significantia.“ [1]) Rhetoricis rebus operam navasse Iulium Secundum testimonium habemus quod eum de his doctrinis disserentem introduxit auctor *Dialogi de Oratoribus*, iuxta quem ille, ut et M. Aper, domi etiam disseruisse videntur. Legimus enim in eo *Dialogo:* „M. Aper et Iulius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri; quos ego in iudiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico assectabar mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili, ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperem.“ [2]) Secundus, Iulii Asiatici vitam componendo spem hominibus fecerat plurium eiusmodi librorum [3]). Quanti facti sint Romae Galli rhetores ex eo patet quod Tacitus in *Dialogo de Oratoribus*, praeter Vipsanum Messalam, non nisi Gallos colloquentes finxit, ambos illos nempe et Maternum [4]).

Inter Gallos rhetores Romae docentes nominasse sat erit *Rufum* [5]), qui discipulorum insolentiam expertus est, de quo *Iuvenalis* Satyr. VII, 213 et 214:

---

1) *Quint.* L. X c. 1, 120, 121. Florum et Secundum Gallos fuisse demonstratur in *Hist. littér. de la France* I, P. I, 175 not. et 216 not.

2) *Dial. de Orat.* c. 2.

3) *Ibid.* c. 14.

4) Maternum e Gallia oriundum fuisse demonstrabit collega meus Franciscus Ritter in praestantissima Taciti editione cuius priora volumina nunc in lucem prodierunt. Idem vir doctus Materno dilucide vindicavit tragoediam, Annaeo Senecae perperam adscriptam, in egregio opusculo: *Octavia praetexta.* Bonnae, 1843, in-8.

5) In Gallia natum affirmat vetus Iuvenalis Scholiastes.

Sed Rufum, atque alios caedit sua quaeque iuventus:
Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit. [1])

Hactenus de primo post C. N. seculo diximus, quod infelicior aetas excepit.

§. 9. *Infausta periodus II. et III. seculi.*

Multa perierunt quae docti Galli ediderunt secundo et tertio seculo post Christum natum: litterae quas ad Plinium iuniorem, amicum suum, scripserunt *Valerius Paulinus*, *Geminius* et *Trebonius Rufinus*, orationes et actiones complurium oratorum, libri quos adeo multos conscripsit *Favorinus* ut parvam bibliothecam efficerent, omnia poëmata *Sentii Augurini*, et alia; ita ut profanorum e Gallia auctorum eius seculi tantum non solus *L. Annaeus Florus* ex universo naufragio servaretur [2]). Non mirum igitur nullos Gallorum rhetorum libros existere. Si qui ad nos pervenissent, uti scripta *Titiani* in quibus fortasse artem rhetoricam attigit [3]), vix lucem novam super eam studiorum provinciam spargerent.

Hoc secundo seculo prius incognita oratoria lux et potestas surrexit in Gallia: Christi religio novam admovit oratorum ingenio facem. Sacra eloquentia, sicuti profana, a Graecis primum in Galliam illata fuit. Eo tempore ex Asia minore oriundus *Irenaeus* eloquentia totam fere urbem Lugdunum Christo submisit [4]); inde evangelium alias in provincias manavit. Vere christiana religio lumen suum ubique cum scientiarum lumine consociare amat: inter lucem et lucem concordia valet; discordia inter lucem et tenebras.

Ecclesia christiana, cum Romanorum institutis conspi-

---

1) Ciceroni obtrectatores non defuisse constat e *Dial. de Orat.* c. 18 et 23.

2) *Hist. littér. de la France.* I, P. I, 244, 245. Dubia de Floro exponit *Baehr, Gesch. der Römischen Literatur.* §. 219, 220.

3) *Hist. littér. de la France.* I, P. I, 322 et 404.

4) *Euseb.* L. V. c. 1. *Hist. littér. de la France.* I, P. I, 225.

rans, linguam Latinam per Gallias magis magisque vulgavit, et eloquentiam aluit. Audiamus Funccium: „Hac vegeta Latinae linguae senectute ad finem properante, elegantiora studia cum receptis Christianorum sacris novas quasi receperunt vires, et insignem recuperandam linguae promiserunt dignitatem: quod in eius cultum et optimas litteras perpoliendas propagandasque cum veteribus magistris sanctioris doctrinae praesides conspirarent [1].“ Suas enim scholas habebat Ecclesia, sed in principio ad explicandos tantummodo sacros libros, ad servandam et propogandam fidem. Episcopi, primi fidelium praeceptores, iuvenes praeterea quosdam, clericos, uti vocabant, specialiter ad sacerdotum munera instituebant. Horum praecipua doctrina sancti mores: fides, pietas erga Deum, religiosus fervor, en iuvenum oratoria scientia; rhetoricae nullus locus: animas salvare, non mentibus placere curabant. Nihilominus eloquentes exstitere patres et doctores in Ecclesia, sed veritate non arte; persuasi erant non ingeniosi. Si non pure, at fervide loquebantur; lacrymae non applausus eorum verba excipiebant. Antiquis philosophis et oratoribus ignotus spiritus oratorum christianorum animos coelesti ardore incendit. Sui obliti, sancto ministerio fungentes, deo et aeternitati devoti, solis rebus intenti, artificia aspernabantur. Inde, in mentibus saltem, nasci debuit oratoria doctrina penitus ab illa diversa quam L. Seneca aliique vel praeceptis vel exemplis commendaverant.

Inter Christianos arte rhetorica inprimis *Cyprianus* inclaruit; is, tertio seculo, antequam Christi religionem adoptasset, Carthagine eloquentiam docuit. Quarto demum seculo Christiani iuvenes scholas rhetorum frequentaverunt, atque scientiis profanis operam navaverunt, uti ex Ausonio colligere licet [2].

Interea profani rhetores et oratores sive in Gallia, sive Galli inter Romanos sequebantur antecessorum vestigia. Omnium

---

1) *De Vegeta L. L. senect.* c. I, §. 19.

2) Vid. et *Hist. littér. de la Fr.* I, P. I, 236, 237.

eruditissimus *Favorinus* [1]), philosophus, rhetor disertus magis quam orator, de qualibet re ex tempore disputare valebat, at sophistarum graecorum more, sine propria persuasione, sine pectore, eunuchus corpore et animo [2]). Inter rhetores et oratores clari nominis Gallum dicunt plerique *M. Cornelium Frontonem*, qui, „orator nobilissimus," Marcum Aurelium Latinas litteras docuit, narrante Paullo Diacono [3]), „Romanae eloquentiae non secundum sed alterum decus [4])."

Protectores ex Imperatoribus adepti sunt eo seculo rhetores. Primo loco, *Antoninum Pium* qui, anno R. S. 138, Hadriano in imperium successit. Hic princeps, omnis humanitatis studiosus, rhetoribus et philosophis per omnes provincias honores et salaria detulit [5]) et decrevit ut grammatici, sophistae, rhetores (itemque medici περιοδευταί), quemadmodum a reliquis muneribus, ita et a tutela et a cura requiem haberent. Etiam lege numerum rhetorum in unaquaque civitate, qui vacationem munerum haberent et haereses quasdam proposuit. Minores civitates iussit quinque medicos immunes habere, et tres sophistas, et grammaticos totidem: maiores autem civitates septem qui curent, quatuor qui doceant utramque doctrinam: maximas civitates decem medicos, et rhetores quinque, et grammaticos totidem. Sed tamen qui disciplinis excellebant, etsi supra numerum, immunes erant [6]).

Marcus Antoninus Philosophus, variis Graecis Latinisque magistris usus, grammaticis, oratoribus, philosophis, Frontoni statuam in Senatu petiit, narrante Capitolino; Proculum vero, grammaticum Latinum, usque ad proconsulatum provexit, oneribus in se receptis [7]). „Tantum autem honoris magistris suis

---

1) Supra p. 37.

2) De eo multa in *Hist. littér. de la Fr.* I, P. I, 265—276.

3) *Hist. miscell.* l. X c. 15.

4) *Hist. litt.* I, P. I, 282—286.

5) *Iulius Capitolin.* in *Anton. Pio.* c. 11.

6) *E. Modestini* l. VI D. *de excusationibus* apud *Funccium de Vegeta L. L. senect.* 49.

7) In *M. Anton.* c. 2.

detulit, narrante eodem, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac sepulcra eorum aditu, hostiis, floribus semper honoraret [1])."

Quinetiam ipse *Commodus*, nobilissimi patris ignobilis filius, maiorum vestigiis insistens, rem litterariam tueri visus est. Voluit, teste *Modestino* „philosophos, rhetores, grammaticos, medicos immunes esse, gymnasiis sacerdotii stantes; et neque ad frumenti et vini et olei emtiones et praepositiones, et neque cogitare, neque legatos esse, neque in militia numerari nolentes, neque ad alium famulatum eos cogi [2])."

Abinde declinavit tum eloquentia, tum ars rhetorica usque ad finem III aut initium IV seculi, regnantibus tyrannis, Caracalla praecipue (211—217), qui odio litterarum et eruditorum, antiquorum scripta destruxit, eruditos crudeliter interfecit [3]). Attamen eo seculo, Musis melius consulens *Alexander Severus* (222—235) Graecis et Latinis poëtis legendis delectabatur, Virgilio praecipue, quem „Platonem poëtarum" vocabat, cuiusque imaginem cum Ciceronis simulacro in secundo larario habuit. Oratores et poëtas non sibi panegyricos dicentes (quod exemplo Nigri Pescennii stultum dicebat) sed aut orationes recitantes, aut facta veterum libenter audivit. Ad Athenaeum (Romae ab Hadriano constitutum), audiendorum et Graecorum et Latinorum rhetorum vel poëtarum causa, frequenter processit. Audivit autem etiam forenses oratores causas recitantes, quas vel apud ipsum vel apud praefectos Urbis egerant [4]). Rhetoribus, grammaticis, medicis, caeteris salaria instituit et auditoria decrevit; et discipulos cum annonis pauperum filios, modo ingenuos, dari iussit. Etiam in provinciis oratoribus forensibus multum detulit, plerisque etiam annonas dedit, quos constitisset gratis agere [5]).

---

1) *Ib.* c. 3.
1) L. VI D. *de excusationibus,* §. 8, laudatus a *Funccio,* u. s. p. 58.
3) *Hist. littér. de la France,* I, P. I, 314.
4) *Lampridii Alex. Sev.* c. 30, 31.
5) *Ib.* c. 44.

Iam inde ab anno R. S. 275 barbari populi Germaniae, Franci, Burgundiones, Vandali, Romanorum propugnacula evertentes, Rhenum transeuntes, Gallias irruperunt et, biennii spatio non absoluto, septuaginta magnas et opulentas civitates devicerunt. Eos vicissim superavit, multisque milibus interfectis expulit imperator Probus. Post haec certamina tumultus exoritur Proculi et Bonosii; hic, grammatici filius, a militibus quos ducebat imperator renuntiatur; audaciae vero poenas dat, et ignominiosa nece perit [1]. Paulo post, per Galliam factionibus semper divisam, Helianus Amandusque excitant manum agrestium ac latronum, quos *Bagaudas* incolae vocant [2], et, populatis late agris, plerasque urbium tentant. Eos brevi Maximianus Herculeus fundit aut accipit et quieta omnia patrat [3], anno 287. Tum vero Alamannorum, Burgundionum, Herulorum, Francorum, Saxonum novae et frequentes incursiones. Ad defendendas provincias, repellendasque barbarorum catervas, Imperatores sedem in Galliam transtulerunt. Primus quidem Constantius Chlorus eas terras Romanis legionibus reddidit [4].

§. 10. *Nova et felicior litterarum periodus ab exeunte III. seculo ad exeuns ferme IV. Litterarum scholae in Gallia.*

Litterariae, immo oratoriae abundantiae, in Galliis nova et, prout tempora ferebant, satis gloriosa periodus incepit

---

1) *Hist. littér. de la Fr.* I, P. I, 315, 321.

2) „Cum tumultum rusticani in Gallia concitavissent et factioni suae *Bagaudarum* nomen imponerent.“ *Paul. Diacon.* X, 40. It. *Iornandes de Regnor. success.* 87. „Militares habitus ignari agricolae appetiverunt: arator peditem, pastor equitem, hostem barbarum suorum cultorum rusticus vastator imitatus est.“ *Mamertini Panegyr. Maximiniano* dictus. c. 4. Vide et *Eumenis Orat. pro instaur. scholis.* c. 4.

3) *Aurel. Vict. de Caesarib.* c. 39.

4) *Vopisc.* in *Carino,* 18.

exeunte seculo III, atque, non pura quidem sed ea luce splenduit iisque coloribus quibus sub finem diei autumnalis nubes inflammare solent occidentis solis radii. Diocletianus et Maximianus Hercules (D. 284, M. 286—305) leges tulerunt ne studiorum cursu impedirentur iuvenes liberalibus artibus in academia quadam dediti; erga harum artium professores excellentissimos quam maxime liberales fuerunt [1]).

Quum imperium, anno 292, inter ambos Imperatores et ambos Caesares divideretur, Caesar Constantius Chlorus, pater Constantini Magni, obtinuit Gallias, Britanniam, Hispaniam et Mauritaniam Tingitanam. Eo imperante, et restituta pace, Galli scientiis et litteris incubuerunt. Constantius ingenia praemiis excitavit, scholas auxit, ornavit, celebres professores allexit. Inter alias academiam Augustoduni Aeduorum (Autun), post obscuriorem periodum, ad pristinam famam revocavit, uti legimus in *Eumenii pro instaurandis scholis oratione.* Fusis Bagaudis, qui ferro et igni omnia vastantes urbem ruinis foedaverant, ille princeps templa, publicas aedes, scholas refici iussit, studia instaurari. Ne vero consilium effectu careret, exsequendi decreti curam studiorumque regimen commisit viro magnis ingenii dotibus, generosa animi indole praedito, qui mente, vitae dignitate, auctoritate scholam regeret, simulque iuventutem eloquentiam doceret. Eumenius, cuius avus, Augustoduni rhetoricam professus, nepotem bene dicendi arte, instruxit et eloquentiae doctrinaeque amore inflammavit, ipse, satis mature avi cathedram adeptus, eadem excelluit arte ita ut, Constantii Chlori favore, ad munus magistri sacrae memoriae, id est ad litteras secretiores principis scribendas in aulam vocaretur. Pro officii ratione imperatorem in expeditionibus secutus est, et aliquamdiu in castris moratus. Quum vero Constantius scholas Augustodunenses, inter barbarorum incursiones collapsas restaurare vellet, Eumenium, qui tum temporis ad otium et quietem se contulisse apparet, ex secessu evocavit ac scholae Augustodunensi prae-

1) *Funccius de Vegeta L. L. senect.* 101, 102.

fecit [1]. Ipse princeps hanc epistolam ad eum scripsit: „Merentur et Galli nostri, ut eorum liberis, quorum vita in Augustodunensium oppido ingenuis artibus eruditur, et ipsi adolescentes, qui hilari consensu meum Constantii Caesaris, ex Italia revertentis, suscepere comitatum, ut eorum indoli consulere cupiamus. Proinde quod alium praemium his, quam illud conferre debemus, quod nec dare potest, nec eripere Fortuna? Unde auditorio huic, quod videtur interitu praeceptoris orbatum, te potissimum praeficere debuimus, cuius eloquentiam et gravitatem morum ex actus nostri habemus administratione compertam. Salvo igitur privilegio dignitatis tuae, hortamur, ut professionem oratoriam repetas, atque in supradicta civitate, quam non ignoras nos ad pristinam gloriam reformare, ad vitae melioris studium adolescentium excolas mentes: nec putes hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus derogari, cum honesta professio ornet potius omnem, quam destruat, dignitatem. Denique etiam salarium te in sexcenis milibus nummum [2] ex Reipublicae viribus consequi volumus, ut intelligas meritis tuis etiam nostram consuluisse clementiam. Vale, Eumeni, carissime nobis [3].“

Eumenius, in eadem oratione narrat: „Salarium me liberalissimi principes ex huius reipublicae (Augustodunensis) viribus in sexcenis millibus nummum accipere iusserunt: non quoniam non amplius tribuere commodis meis vellent, in quam multo maiora et prius et postea praemia contulerunt: sed ut tercena illa sestertia, quae sacrae memoriae magister acceperam, in honore privati huius magisterii addita pari sorte geminarent [4].“

Ingentis stipendii Eumenius dimidiam partem scholae instaurandae seposuit, quamvis numerosae sobolis pater; „nam

1) *Heynius*, u. s. 96.
2) 31,250 Thaler.
3) Cap. 14.
4) cap. 11. De enormi stipendio controversia inter *Casaubon. Animadv. in Suet. Othon.* c. 4. et *Funcc.* l. c.

aedes docendis litteris destinatae, Maeniana appellat, per temporum calamitates eversae erant. In ipso muneris aditu, ut principis liberalitatem et animum suum generosum declararet, publice coram Galliae Lugdunensis primae praeside a. 296 orationem habuit quae inter Panegyricos tertia est, inscripta *pro instaurandis scholis* [1]." Ex ea oratione de Augustodunensi et aliis litterarum scholis varia discere licet. Illam in nobilissima urbis parte, quasi aedem Musarum, inter Herculis Musagetae et Apollinis aedes sitam fuisse praedicat (c. 7). „Caesar, ait panegyrici auctor, avi Herculis instinctu tanto studium litterarum favore prosequitur, ut non minus ad providentiam Numinis sui existimet pertinere bene dicendi, quam recte faciendi disciplinas: et pro divina intelligentia mentis aeternae sentiat, litteras omnium fundamenta esse virtutum, utpote continentiae, modestiae, vigilantiae, patientiae magistras: quae universa cum in consuetudinem tenera aetate venerunt, ad omnia deinceps officia vitae, et ipsa, quae diversissima videntur, militiae atque castrorum munia convalescunt." (cap. 8). Scholas idem appellat „omnis industriae atque omnis laudis nutrices, aut ut verius loquatur, matres." (*ib*). Tabulas geographicas in porticu pictas celebrat. „Videat in illis porticibus iuventus et quotidie spectet omnes terras et cuncta maria. . . . Siquidem illic, credo, instruendae pueritiae causa, quo manifestius oculis discerentur, quae difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus suis locorum situs, spatia, intervalla descripta sunt, quidquid ubique fluminum oritur et conditur, quacumque se littorum sinus flectunt, quae vel ambitu cingit orbem, vel impetu irrumpit Oceanus." (c. 20).

Alia die idem Eumenius, uti viris doctis videtur [2]) iam non privati studii litterarum, sed publicae gratulationis orator, *gratiarum actionem Constantino Augusto* Flavien-

1) *Heynius*, u. s. 97.

2) Balduino, Livineio, Baunio, Cellario, Gothofredo. Vide not. in *Panegyricor.* edit. Arntzenii, t. II, p. 415, 416.

sium nomine (tum enim Aug. Aeduorum civitas *Flaviae* nomen assumpsit, quod Constantinus, gentis Flaviae, civibus partem quandam tributi remisisset), dixit. Ex omnibus Gallis Aeduos praecipue Romanis devotos praedicat. „Quaenam igitur gens, ait, toto orbe terrarum in amore Romani nominis Aeduis se postulet anteponi? qui primi omnium inter illas immanes et barbaras Galliae gentes plurimis Senatus consultis fratres populi Romani appellati sunt; et, cum a ceteris Rhodano ad Rhenum usque populis ne pax quidem posset, nisi suspecta, sperari, soli etiam consanguinitatis nomine gloriati sunt: et nuper, ut media praeteream, divum Claudium, parentem tuum, ad recuperandas Gallias soli vocaverunt [1].“

Imperatoriam urbem elegerunt principes Trevirorum civitatem. Innumerae codicis Theodosiani constitutiones, uti notatur a Gothofredo, sedem hanc ferme Imperatorum fuisse testantur. „Augustam urbem“ vocat Ausonius (*Mosella* 421). Exemplum a Postumo et Tetrico datum secuti sunt Maximinianus Hercules eiusque successores. Praemiorum, divitiarum, honorum cupidi qui inter Gallos eloquentia, litteris aut politico ingenio excellebant, Caesaream maiestatem laudaturi accurrebant. Apud Treviros sedem suam tunc etiam habebat praefectus Galliarum, cuius auctoritati subditae erant et Hispania et Britannia. Ideo Trevirorum Episcopus in ecclesia Galliarum summo fruebatur honore. Sic omnia conspirarunt ut Treviri, caput Galliarum, magna frequentia celebrarentur magnoque splendore essent. Incrementum cepit adhuc ea urbs Constantii Chlori benevolentia: facta est enim altera Roma, liberalium artium sedes, doctorum et ingeniosorum hominum quasi forum. Omnium disciplinarum professores, eloquentiae, poeticae, philosophiae, quaestus et honoris gratia, eo conveniebant [2].

Hac enim in civitate Caesarea, eloquentiae ut et scientiarum laude celebrabatur academia sive „praetextatus ludus,“

---

1) cap. 2. Vide etiam cap. 3 et 4.

2) *Hist. littér. de la France*, I, P. I, 315, 316.

ut Ausonii verbis utar: hanc enim et alias huiuscemodi, nostrarum universitatum instar, iuvenes praetexta induti frequentabant [1]. Eam scholam, illustres eius rhetores et discipulos, iam in magistratibus et causis dicendis claros, Mosellam alloquens, collaudat idem vates:

Aemula te Latiae decorat facundia linguae [2].

Tempus praevidens quo senex otii curas studiis mulcebit, carminibusque patrios celebrabit honores, exclamat:

Quis mihi tum non dictus erit? memorabo quietos
Agricolas; legumque catos, fandique potentes
Praesidium sublime reis; quos curia summos
Municipum vidit proceres, propriumque senatum.
Quos praetextati celebris facundia ludi
Contulit ad veteris praeconia Quintiliani [3].

Ipse Ausonius Treviris diu degens, uti narrabimus, eius ludi celebritatem auxit. Nec omittendum hoc loco *Lactantii* nomen, „Christiani Ciceronis“, sic enim vocabatur, qui verisimiliter in Africa natus, antequam fidem christianam amplecteretur, Nicomediae rhetoricam latinam professus est, unde in Gallias vocatus, ut Constantini Imperatoris filium Crispum educaret, procul dubio Treverica in urbe vixit, scripsit et mortuus est [4].

Gratianus postea, quum adhuc Augustus esset, peculiari amore Gallias Gallorumque studia prosecutus, nova constitutione [5] professorum, nempe rhetorum et grammaticorum Atticae Romanaeque doctrinae, frequentissimis in civitatibus,

---

1) Ausonius de grammatico quodam:

Mox schola et auditor multus, *praetextaque* pubes
Grammatici nomen divitiasque dedit;
(Profess. XVII, 7, 8)

et Cicero Hirtium et Pansam, qui sub eo in arte dicendi sese exercebant, grandes *praetextatos* vocat (Vid. *Sueton. de Cl. Rhett.* c. 1).

2) v. 383.

3) v. 399—404.

4) *Hist. littér. de la France*, I, P. II, 67, 68.

5) *Codex Theodos.* L. XIII, Tit. 11.

quae pollebant et eminebant claritudine praeceptorum, fortunam amplificavit. Cum hactenus in paucis tantum metropolibus scholae seu professores haberentur, statuit in omnibus metropolibus seu frequentissimis civitatibus eos habendos. Porro ne amplius professores dè tenuibus et exilibus cathedris, deque paupere vita queri possent, sicuti non uno loco Ausonius, voluit Gratianus certum salarium ipsis constitui e fisco, sive Imperii fiscum, sive vires cuiusque reipublicae aut civitatis intelligere debeamus [1]. „Nec vero iudicemus sic fert ipsa lex, liberum ut sit cuique civitati suos doctores et magistros placito sibi iuvare compendio. Trevirorum vel clarissimae civitati uberius aliquid putavimus deferendum.“ Ipse Augustus, anno 376° quo hanc tulit legem, annisque sequentibus Treveris moratus est. Non mirum quod sub Gratiano et post eius tempora studia in Galliis ita florerent ut rhetores inde Romam excirentur [2].

Quam laudem Mosellae tribuit Ausonius, eam et caeterarum Galliarum fluvii tum complures vindicare sibi potuissent:

Salve, magne parens frugumque virumque, Mosella,
Te clari proceres, te bello exercita pubes,
Aemula te Latiae decorat facundia linguae.
Quin etiam mores et laetum fronte serena
Ingenium Natura tuis concessit alumnis;
Nec sola antiquos ostentat Roma Catones,
Aut unus tantum iusti spectator et aequi
Pollet Aristides veteresque illustrat Athenas [3].

Inter caeteras civitates, magna litterarum laude gaude-

1) Vid. Gothofredi interpretationem in l. c.

2) *Symmachus*, l. I. ep. 9 et 88; lib. III, ep. 50.

3) *Mosella*, v. 381—388. Huius poëmatis absolutissimam editionem, docto commentario et poëtica versione germanica auctam, in lucem protulit, multis nominibus illustris collega meus *Ed. Böcking*, iterum typis inpressam in *Jahrbücher des Vereins von Alterthumsfreunden im Rheinlande* VII. Bonn, 1845.

bat Burdigala, „ultimus Galliarum recessus, qua litus Oceani cadentem excipit solem et deficientibus terris sociale miscetur elementum“ ut verbis utar Latini Pacati [1]. Ausonius, et ipse Burdigalensis, grammaticus, rhetor, poëta, orator, patriam de litteris bene meritam versibus celebrat in *Commemoratione professorum Burdigalensium*, quem titulum praefixerunt „libello, ut ait ipse poëta, qui commemorationem habet eorum, qui vel peregrini Burdigalae, vel qui Burdigalenses peregre docuerunt [2].“ Addidit et Burdigalenses, qui in patria urbe litteras professi sunt inter quos, semet ipsum, clarissimum, omittit; ultra triginta grammaticos et rhetores commemorat. In eam urbem convenerunt professores, non solum e variis Galliarum provinciis, verum e longinquis regionibus, exempli gratia, Syracusis Citarius, inter grammaticos celebratus [3]; ex Attica, Censorius Agricius [4].

Tolosanae cathedrae complures professores suo tempore celebres nominat Ausonius; Sidonius item, primum vero Christi confessorem quem

Vinxit ad tauri latus iniugati
   Plebs furibunda:
Ut per abruptum bove concitato,
Spargeret cursus lacerum cadaver
Cautibus tincti calida soluti
   Pulte cerebri [5].

Ausonius in *Gratiarum actione* commemorat „gloriosum magistrum qui municipalem scholam apud Visontionem Lugdunumque variavit.“ Nec obscurae erant scholae Narbonensis et Pictaviensis. In laudem Galliarum scholarum in genere afferre possemus permulta oratorum, poëtarum, litteratorum, doctorum nomina qui patriam scientiasque honoraverunt [6].

---

1) *Panegyr. XX*, c. 2.
2) *Auson. lectori suo* ad *Epitaph. Heroum.*
3) *Auson. Profess. Burd.* XIII; infra 57.
4) *Ib.* XIV.
5) Lib. IX, epist. 16.
6) Vid. *Hist. littér. de la France*, T. I. P. II, 17—19.

Unicuique Galliarum scholae praefectus praepositus erat qui studiorum ordinem servaret. Ab hoc secundus, eius vicem gerens, Ausonio *subdoctor* sive *proscholus* dicitur. Huius generis hominem, at eruditarum nugarum curiosum, sic alloquitur Ausonius Victorium:

Victori studiose, memor, celer, ignoratis
Assidue in libris, nec nisi operta legens;
Exesas tineis, opicasque evolvere chartas,
Maior quam promptis cura tibi in studiis.
Quod ius pontificum, quae foedera, stemma quod olim
Ante Numam fuerat sacrificis curibus . . . . .
Nota tibi potius, quam Tullius et Maro nostri [1].

Quaenam fuit, diversis aetatibus, professorum merces?

Vigente adhuc libera republica et primis sub Imperatoribus, nulla grammaticis et rhetoribus publica salaria assignata fuerunt. A discipulis vel discipulorum parentibus aut cognatis operae pretium valde varium accipiebant. Nullae tum pecunia publica constitutae scholae. Quisque doctorum, pro paupertate, vel pro facultatibus aut fama, sibi commodum ad docendum locum eligebat. Multi in propriam domum vel conductam discipulos convocabant, eorum quidam maiore fama quam emolumento docebant, ut ille, sub tegulis habitans, Orbilius Pupillus quem *plagosum* Horatius appellat et de quo Domitius Marsus:

Si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit.

In hac vero, sibimet, uti videtur, salutari exercitatione, sobriaque in paupertate attigit prope ad centesimum aetatis annum [2]. Iuvenalis tempore rhetores Romanos avaram pecuniam saepius accepisse apparet ex toto illo classico loco *Satyr.* VII, 150—211. Exclamat igitur poëta:

Nosse velint omnes, mercedem solvere nemo. . .
Poenituit multos vanae sterilisque cathedrae.

1) *Profess.* XXII.

2) *Sueton. de Ill. Gramm.* c. 9.

In Gallia vero et in Africa, iam tum rhetorum sors magis invidenda fuisse videtur, ut idem:

Accipiat te
Gallia vel potius nutricula causidicorum
Africa, si placuit mercedem ponere linguae [1].

Nihilominus pretia grammaticorum feliciorum tanta, mercedes tam magnae ut constet Lutatium Daphnidem ducentis milibus nummum [2] Q. Catulo emptum, ac brevi manumissum; L. Appuleium, ab Eficio Calvino, equite Romano praedivite, quadringenis [3] annuis conductum multos edocuisse [4]. Verrius Flaccus, ab Augusto nepotibus praeceptor electus, sestercia centena in annum accepit [5]. Quintus Remmius Palaemon, quamquam infamis omnibus vitiis, palamque et Tiberio et mox Claudio praedicantibus nemini minus institutionem puerorum vel iuvenum committendam, ex schola quadragena annua capiebat [6]. Transeamus silentio duo milia iugerum campi Leontini Sex. Clodio, Latinae simul Graecaeque eloquentiae professori, a M. Antonio assignata, cum rhetoris ingenium et doctrina nec unica nec praecipua causa tantae liberalitatis fuisset [7]. Rhetoricam tanti factam esse a Romanis nemo est qui miretur, si consideret ad quod honorum fastigium, ad quas fortunae opes pervenirent homines eloquentiae vi et arte praestantes. Tacitus de oratoribus loquitur qui ad ter millies sestertium possunt videri eloquentiae beneficio venisse [8]. Idem addit: „Honoribus et ornamentis et facultatibus refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentia causis forensibus et oratorio studio dederunt.“

1) 147—149.
2) 10,416 Thaler, 16 Gr.
3) 20,888 Thaler, 8 Gr.
4) *Suet. de Ill. Gramm.* 3.
5) *Ib.* 17. 5208 Thaler, 8 Gr.
6) *Ib.* 23. 2083 Thaler, 8 Gr.
7) *Suet. de Cl. Rhet.* 5; *Cic. Philipp.* II, 27.
8) *Dial. de Orator.* c. 8. Res lucida quamvis locus corruptus. 15,625,000 Thaler.

Maioris tamen plerumque fiebant cantores, saltatores, histriones, quam docti homines qui pueros et iuvenes artibus ad civilem vitam utilibus imbuebant. Ideo Martialis amico cuidam hocce dat consilium:

Cui tradas, Lupe, filium magistro,
Quaeris sollicitus diu, rogasque.
Omnes grammaticosque rhetoresque
Devites, moneo: nihil sit illi
Cum libris Ciceronis, aut Maronis.
Famae Tutilium suae relinquat.
Si versus facit, abdices poëtam.
Artes discere vult pecuniosas?
Fac, discat, citharoedus aut choraules.
Si duri puer ingeni videtur,
Praeconem facias aut architectum [1].

In societate hominum splendidioribus praemiis qui vitae illecebris sensus permulcent quam qui vitae dignitatem promovent saepe honorantur. Grammaticus iuvenilibus mentibus novas cogitandi aperit vias et fame languescit; saltator elegans, divitias congerens auro, in rheda superbiens quadrupedante sonitu per hominum urbes vehitur.

Vespasianus, ingenia et artes vel maxime fovens, primus a fisco Latinis Graecisque rhetoribus annua centena constituit. Sic Suetonius [2]. Quintiliani, qui primus eam mercedem accepit, singularibus meritis id praemium tribuisse Vespasianum non negabo. Fortasse vero artes simul et fovere et auctoritati suae submittere voluit. Quum antea rhetores, ab auditorum favore pendentes, eorum voluntati inservire deberent, eos ab hac servitute liberando sibi devinxit. Non sicut Caius et Nero persecutionibus [3], sed beneficiis rhetorum audaciam compescuit; tantumque hac ratione profecit ut e. g. Quintiliani fidelitatem ipse Domitianus

---

1) IX, 77.

2) Vespas. 18.

3) Supra 78.

nunquam suspiceret, et hostilitas quae inter imperialem dominationem et scholam fuerat paulatim desineret [1]).

Litterarum instituta auctiora ac meliora fecerunt Imperatores sequentes, dum in docentes nova contulerunt benefacta. Quo magis litterarum senectus ingravesceret, eo acrius languentem vitam stimulis excitaverunt. Professoribus etiam immunitas tributorum et munerum personalium data fuit, quam firmavit Hadrianus inito statim principatu [2]) (117). Constantinus Magnus, anno R. S. 321, confirmavit grammaticis et professoribus aliis litterarum immunitatis privilegium ab omni functione et ab omnibus muneribus civilibus vel publicis. Praeterea honorum in civitatibus suis capessendorum facultatem tribuit; ita ut Duumviri, Gymnasiarchae, Aediles, Sacerdotes, Flamines, Legati creari possent: nam quid inter munera et honores intersit notissimum. Eorum praeterea personas quasi sanctas reddidit a vulgi vexationibus vindicans. Tandem, quum salaria quae civitates professoribus praestare debebant, interdum denegata fuisse videantur, nunquam deficiente praetextu, Constantinus ea iussit reddi vel praestari [3]). Idem Imperator Anno 333, sequens addidit decretum.

---

1) *W. Ad. Schmidt* 437—444.

2) *Gothofred.* in Cod. Theod. L. XIII, Tit. III §. I.

3) Hic ipsa legis verba: „l. Imp. Constantinus A. ad Volusianum. „Medicos, Grammaticos et Professores alios, litterarum immunes esse cum rebus quas in civitatibus suis possident praecipimus: et honoribus fungi: in ius etiam vocari eos, vel pati iniuriam prohibemus: ita ut si quis eos vexaverit, centum milia nummorum aerario inferat, a Magistratibus vel Quinquennalibus exactus, ne ipsi hanc poenam sustineant. Servus eis si iniuriam fecerit, flagellis debeat a suo domino verberari coram eo cui fecerit iniuriam: vel si dominus consensit, viginti milia nummorum fisco inferat: servo pro pignore, donec summa haec exsolvitur, retinendo. Mercedes etiam eorum et salaria reddi praecipimus. Quoniam gravissimis dignitatibus vel parentes, vel domini, vel tutores esse non debent, fungi eos honoribus volentes permittimus, invitos non cogimus.“

„Constantinus A. ad Populum.

„Beneficia Divorum retro Principum confirmantes, Medicos et Professores litterarum, uxores etiam et filios eorum ab omni functione et ab omnibus muneribus publicis vacare praecipimus, nec ad militiam comprehendi, neque hospites recipere, nec ullo fungi munere: quo facilius liberalibus studiis et memoratis artibus multos instituant [1].“

Ad promovenda studia ornandasque academias, nobiliores professores iam olim elegere saepius ipsi Principes. Quem honorem solenniter augere Imperator Iulianus videri voluit. Hanc iussit legem:

„Imp. Iulianus A.

„Magistros studiorum, doctoresque, excellere oportet moribus primum, deinde facundia. Sed, quia singulis Civitatibus adesse ipse non possum, iubeo, Quisque docere vult, non repente nec temere prosiliat ad hoc munus, sed iudicio Ordinis probatum decretum Curialium mereatur, optimorum conspirante consensu: hoc enim decretum ad me tractandum referetur, ut altiore quodam honore nostro iudicio studiis Civitatum accedat [2].“ Recte vero Gothofredus animadvertit „Iulianum id tantum quaesivisse, ut ipse Christianos, forte iudicio ordinis probatos, decretum Curialium meritos, optimorum etiam conspirante consensu, repelleret.“ Ista lex enim concordat cum his *Ammiani Marcellini* verbis: „Illud autem inclemens obruendum perenni silentio, quod arcebat docere magistros rhetoricos et grammaticos, ritus christiani cultores [3].“

Post Gratianum, qui in Galliis sedem habens, stipante litteratorum caterva, Gallicam facundiam admirans et ipse hauriens Gallicarum scholarum studia maxime fovit, Theodosius Magnus, Valentinianus, Honorius et Theodosius II,

1) *Ibid.* §. III.

2) *Cod. Theodos.* l. XIII. Tit. III §. V.

3) Lib. XXII, c. 26.

rescriptis suis, Romanas praecipue et Constantinopolitanas scholas in maius efferre studuerunt [1]).

Omnibus, quas enumeravimus, causis factum est ut nasceretur aemulatio quae post aridam aetatem tantam ubertatem doctorum virorum peperit saeculo IV. ut Cel. Heynio mirationem moveret [2]).

§. 11. *Studiorum genera.*

In Provinciarum academiis studia praecipua circa grammaticam et rhetoricam, sive uno verbo litteras versabantur. His et philosophia constabant studia quae nos hodierno sermone generalia vocamus. Ideo quum apud historicos mentio fit magistrorum quibus iuventus commissa fuit, nonnisi grammatici, rhetores et sophistae vel philosophi nominantur [3]). In iis quae de constitutione academica provinciali nobis tradita sunt, ut et in legibus codicis Theodosiani, de rhetoribus tantummodo seu oratoribus, et de grammaticis Atticae et Romanae doctrinae sermo est, quasi solis professoribus in Gallia, Hispania et Africa.

Exempla nonnulla grammaticorum et rhetorum, potissimum ex *Ausonii professoribus Burdigalensibus* deprompta, res ipsas et instituta illustrabunt. Tenendum tamen est Ausonium eiusque aevi scriptores laudum quas coaetaneis impertiunt minime avaros fuisse. „Di tali elogi, scripsit Tiraboschi, erano gli scrittori di questi tempi assai liberali, e noi

---

1) Notanda obiter Theodosii M. epistola, gratissimum animum spirans, ad Ausonium, praeceptorem suum, quem „parentem" salutat, „postulans pro iure, non quidem regio, sed illius privatae inter nos caritatis, ne frandari me scriptorum tuorum lectione patiaris."

2) *Heynius Opusc. acad.* VI, 6: „Movet omnino mirationem, quibus a causis profectum sit, ut *saeculo 4to* medio virorum doctorum ubertas tanta existeret, cum antecedente aetate litterae fere exaruisse ac defuisse viderentur. caet."

3) E. g. *Aelii Lampridii Alex. Severus.* c. 8.

possiamo, senza che essi abbian ragione a dolersene, ribassarne alquanto [1]."

Grammaticorum saepius exigua laus. Attamen, ut in humanis rebus fieri solet, sub iisdem nominibus, homines varia hominum existimatione gaudent, prout ingenio et moribus merentur. In infima grammaticorum sede nobis apparent: *Crispus*,

Qui primaevos, fandique rudes,
Elementorum prima docebat
Signa novorum [2];
Libertina,
Sucuro, progenies;
Qui rudibus pueris
Prima elementa dabat [3].

Ideo poëtae *exilis* est *cathedra* grammatici [4]. *Victorius* subdoctor, de quo supra, ad hunc honorem pervenit ab infimo litterarum gradu,

Libato tenuis nomine grammatici [5].

Plurimorum admodum exigua fama, ut illius de quo Ausonius:

Pange et *Anastasio*
Flebile, Musa, melum;
Et memora tenuem,
Naenia, grammaticum:
Burdigalae hunc genitum,
Transtulit ambitio,
Pictonicaeque [6] dedit;
Pauper ubi, et tenuem
Victum habitumque colens,
Gloriolam exilem

---

1) *Storia della Letter. ital.* Lib. IV Capo III, §. VII.
2) *Auson. Profess.* B. XXI.
3) *Ib.* X.
4) *Ib.* VII.
5) *Ib.* XXIII.
6) Urbi. Urbs Pictonum seu Pictavorum caput, (Poitiers).

Et patriae et cathedrae
Perdidit in senio;
Doctrina exiguus,
Moribus implacidis,
Proinde, ut erat meritum,
Famam habuit tenuem [1].

Similem famam *Thalassus* grammaticus Latinus Burdigalensis, ad quem idem poëta:

Grammaticum iuvenem te tantum fama ferebat,
Tum quoque tam tenuis, quam modo nulla manet [2].

Nepotem habebat Ausonius, sororis filium *Herculanum*, grammaticum, quem clarum evadere haud dubie atque cathedrae successorem suae sperabat. Is vero „spem magis quam rem fruendam praebuit avunculo, lubricae quippe eum iuventae praecipitem flexus dedit [3].“

Leontius, qui natu multo maior Ausonio eius tamen iuventae socius semper fuerat, tantum sciebat quantum humili officio satis erat. *Lascivi* cognomen patiens audivit, quamvis indignum probitate vitae, quod hilariter in ludis iocisque vitam transegit, fortasse et hilaritatem puerorum iocis excitavit [4]. Huius frater *Iucundus*, simplex, bonus, vita commendandus, cathedram usurpasse dicebatur nec meruisse nomen grammatici [5].

Notandum orbiter grammaticos, ut et rhetores, decreto ordinis probatos, nisi utiles studentibus se praeberent, denuo ab eodem ordine reprobari potuisse, secundum Gordiani rescriptum [6].

Grammaticorum eximii quidam, ad officium et honores rhetorum sese promovebant, ut Ausonius et is de quo Ausonius *Nepotianus*,

1) *Auson. Prof.* X.
2) *Ib.* XII.
3) *Ib.* XI.
4) *Ib.* VII.
5) *Ib.* IX.
6) *Cod. Theod.* L. X, tit. 52.

Cui felle nullo, melle multo mens madens [1] . . . .
Facundus, nulli rhetorum cedens stylo,
Et disputator ad Cleanthen Stoicon;
Scaurum, Probumque corde callens intimo . . .
Honore gesti praesidatus inclytus [2].

Urbicus, Graiis litteris celebris, insigni dote praeditus, sive orationem sive versus quasi ex tempore effudisse videtur. Ad eum enim poëta noster:

Nam tu . . .
Prosa solebas et versu *loqui*
Impete eodem,
Priscos ut et Heroës olim
Carmine Homeri commemoratos
Fando referres [3]

Alios complures doctores fuisse dicit idem poëta

Grammatici in studio, vel rhetoris, aut in utroque [4].

Egregiis grammaticis aut litteratoribus, uti hodie loquimur, annumerandus *Harmonius*, qui in Trevirorum schola docens, Clarani, Scauri, Aspri, Varonis, Cratis famam aequavit, Graecis Latinisque et sermone et litteris,

Quique sacri lacerum collegit corpus Homeri,
Quique notas spuriis versibus apposuit
Cecropiae commune decus, Latiaeque camoenae [5]

Sic Gallicanus grammaticus, neglecta tum et lacera Homeri poëmata collegit, eorumque corpus denuo constituit. Graecas etiam litteras, non apud Massilienses tantum, verum et in extremo Galliae occidentalis ore, Burdigalae aliisque in civitatibus docebant *grammatici Graeci*. At interdum eis

---

1) Adverte consonantia verba *felle nullo*, *melle multo;* item allitterationem ut rhetores Germani vocant: *m*elle, *m*ulto *m*eus *m*adeus, et inferius *p*robe et *p*udice, *p*arce.

2) *Auson.* Profess. B. XV.

3) *Ib.* XXI.

4) *Ib.* XXV.

5) *Auson. epist.* XVIII, 28—30.

Fructus exilis, tenuisque sermo [1];

nec emolumentum, nec fama eos incitabant. Ausonius fatetur se ab hoc studio refugisse:

neque disciplinis
Appulit Graecis puerilis aevi
Noxius error [2].

Sic et *D. Augustinus* l. I *Confessionum*. „Quid autem erat causae cur Graecas litteras oderam, quibus puerulus imbuebar, ne nunc quidem satis exploratum est. Adamaveram enim litteras, non quas primi magistri, sed quas docent qui grammatici vocantur. Nam illas primas, ubi legere, et scribere, et numerare discitur, non minus onerosas poenalesque habebam, quam omnes Graecas.“ Attamen grammatici Graeci Latinique eadem dignatione erant in commune, excepta urbe Treverica, ubi maior honor grammatico Latino quam Graeco fuit, forte quod in ea ulteriore Galliarum parte, Germaniae viciniore, non adeo usus linguae Graecae erat [3]. Ideo Gratianus in decreto, de Graeco rhetore apud Treviros cum loquitur, addit: „si qui dignus reperiri potuerit.“

Inter grammaticos Graecos magnopere laudatur *Citarius*, Syracusanus, cuius carminibus concessit Cei musa Simonidis, quique Burdigalae peregrinus docens, hanc civitatem „excultam studiis prope reddiderat.“ Is coniugium nactus est cito nobilis et locupletis [4].

Quemadmodum Romae, ita in Gallia humilioris generis existimabantur grammatici, nobilioris *rhetores* et habebantur [5] et videri volebant. At quantum honoris studiis rhe-

---

1) *Auson. Prof.* VIII.

2) *Ibid.*

3) *Gothofredus in Cod. Theod.* l. XIII, Tit. III, §. XI.

4) *Auson. Profess.* XIII.

5) *Cod. Theodos.* l. XIII passim, inter alia Tit. III §. 11, Gratiani rescriptum: „Oratoribus 24 annonarum e fisco emolumenta donentur, grammaticis Latino vel Graeco 12 annonarum, deductior

torum additum sit posteriore tempore ex hoc uno colligi potest. Florente adhuc libera Republica atque primis sub Imperatoribus rhetores et grammaticos in servorum conditione vel in ordine libertino natos invenies. Suetonius exempla habet in libris *de Illustribus Grammaticis* et *de Claris Rhetoribus*. Inter hos *Otacilius Pilitus* primo servus, atque etiam ostiarius, vetere more in catena fuit [1]. Apud Gallos tale quid nullibi occurrit [2]: rhetorum, e contrario, novimus non paucos claris parentibus oriundos. *Aemilii Magni Arborii*, rhetoris Tolosani, pater Aeduicus, mater Tarbellica, ambo genus procerum. Adeo docendo gloria et honore ornatus fuit, ut fama Constantinopolim deductus, ibi, edocto Caesare opes et honores in mercedem acciperet [3]. Nobili quoque genere grammaticum, *Acilium Glabrionem*, praematuro fato uxori, liberis, parentibus, civibus ereptum paulum abest quin cum poëta lugeamus; nam eloquentia potens in foro tutela erat reis, praeterea commodus, laetus, benignus, abstemius, tam bonus dandis semper consiliis, quam taciturnus datis [4]. Quin immo e Druidarum honorata stirpe exstitere rhetores, qualis *Phoebicius*, qui Burdigalae cathedram obtinuit, oriundus ex Aremorica, et quidem Baiocassis (Bayeux) in Neustria; I. Caesar enim, B. G. VII, 75, nos docet „civitates Galliae Oceanum attingentes Gallorum consuetudine Aremoricas esse appellatas." (Celtico idiomate *ar mor* „ad

paulo numerus *) ex more praestetur. . . . Triverorum vel clarissimae civitati uberius aliquid putavimus deferendum: rhetori ut 30, item 20 grammatico Latino, Graeco etiam, si qui dignus reperiri potuerit, 12 praebeantur annonae."

1) *De Cl. Rhett.* c. 3.

2) Libertos duos Gallos supra nominavimus p. 5 et 6.

3) *Auson. Profess.* XVI.

4) *Auson. Profess.* XXIV.

*) Gothofr.: „An 22? Nam alioquin 12 ad 24 dici non posse videatur *paulo* deductior numerus."

mare"). Mox de alio Baiocassio, stirpe quoque Druidarum sato, nobis dicendum [1]).

Rhetorum compluribus honos, nomen, laudesque manserunt. *Luciolus*, e. g., deinceps condiscipulus, magister et collega Ausonii, facundus doctusque fuit vir,

. . . . . seu lege metrorum
Condita, seu prosis solveret orsa modis;

morum probitate, amoenitate, praematura vero morte ereptus, caram amicis, fratri, coniugi sui memoriam reliquit [2]). *Alethius Minervius*, de cuius patre infra (p. 70), „primaevis doctor in annis et praeceptor tempore quo discere adultum non turpe foret," virtutibus et fama connubium nobile divitiasque nactus est, non sine tactu invidiae. „Burdigalae laetus patriae clara cohortis vexilla rexit pubere in aevo [3])." *Theonem*, praeceptorum et exemplorum oratoriae artis traditione, sub Iuliano, illustrem in Gallia famam consecutum Eunapius auctor est [4]).

Gratiani et Theodosiani tempore inter praestantes rhetores floruit *Titianus*. Imperatoris Maximini I voluntate Maximinum filium eloquentiam docuit, atque ob id consularia ornamenta sortitus est. „Gloriosus municipalem scholam apud Visontionem Lugdunumque variando, non aetate quidem sed utilitate (alii: *vilitate*) consenuit [5])." De eo Ausonius:

Aesopiam trimetriam,
Quam vertit exili stilo,
Pedestre concinnans opus,
Fandi Titianus artifex [6]).

Variorum scriptorum nunc deperditorum auctor fertur, quae servilium litterarum veram imaginem expressisse viden-

---

1) Infra p. 67.
2) *Auson. Profess.* III.
3) *Ib.* VI.
4) *Pithoeus*, in *Quinctil. Declam.* p. 415.
5) *Auson. Gratior. actio* c. 10.
6) *Epist.* XVI, 78—81.

tur. Sine instinctu, absque animi impetu vel persuasione antiquos scriptores imitatus est. Nunc epistolas scripsit sub celebrium feminarum nomine, Ciceronis stylum reddere frustra conatus [1]; cuius scribendi generis Ovidius in *Heroïdibus*, auctor fuit; nunc vero Virgilii partes assumpsit. Ad oratorum etiam complurium similitudinem eodem modo affectavit. Ideo Iul. Capitolinus de Titiano: „qui provinciarum, ait, libros pulcherrimos scripsit, et qui dictus est *Simia sui temporis*, quod cuncta imitatus esset [2].“ *Oratorem simiam* eum nuncupatum fuisse refert *Sidonius Apollinaris* [3]. Imitatores, servum pecus, digni temporibus servitute corruptis, nil virile, nil acre, nil impetuosum habent, carent mentis vi et pectoris facundia.

Ipsa natura rerum ita iubente, maxima rhetori laus fuit oratoris nomen, sive ad Isocratis exemplar panegyricis libris in Panathenaïcis numerari vellet, sive liberet fictas ludorum evolvere lites [4], sive advocatus, innocentiam aut civium iura defenderet, sive accusaret iustitiae osores, civilium rerum eversores. Talem videmus *Attium Tironem Delphidium* qui postquam omnes Gallias, prosa versuque, suo illustravit ingenio [5], eposque metricum scribere suscepit, claruit domi forisque, celebrata varie eius eloquentia. „Abundantiam Delphidii“ laudat, Sidonius Apollinaris [6]. Causas dicens vehementia sua multos offendit. Anno 358 Numerium, Narbonensis paulo ante rectorem, coram Caesare Iuliano accusavit ut furem. Qui cum infitiatione defenderet obiecta, nec pos-

1) *Sidon. Apoll.* l. I. ep. 1.
2) In *Maximino Inn.* c. 1.
3) L. I, ep. 1.
4) *Auson. Prof.* I.
5) *Hieron. Epist. ad Hedibiam.*
6) Lib. V ep. 10, ubi ad *Sapaudum* scribit: „Tua tam clara, tam spectabilis dictio est, ut illi divisio *Palaemonis*, gravitas *Gallionis*, abundantia *Delphidici*, *Agroecii* disciplina, fortitudo *Alcimi*, *Adelphii* teneritudo, rigor *Magni*, dulcedo *Victorii*, non modo non superiora, sed vix aequiparabilia scribantur.“

set in quoquam confutari," scribit Ammianus Marcellinus [1]), „Delphidius orator acerrimus, vehementer eum impugnans, documentorum inopia percitus, exclamavit: *Ecquis, florentissime Caesar, nocens esse poterit usquam, si negare suffecerit?* Contra quem Iulianus ex tempore: *Ecquis*, ait, *innocens esse poterit, si accusasse sufficiet?*" Hac lite potentiorum odia in se concitavit. Ambitione semper delusus, ut

Venator sequitur fugientia, capta relinquit [2]),

desideravit plurima,

Vagus per omnes dignitatis formulas [3])

in aula tyranni sese attollens, incidit in criminis periculum, nec nisi patris optimi, Paterae rhetoris, lacrymis servari potuit. Inde ad rhetoricae professionem confugit, atque linguae et ingenii celeritate, iocis amoenis aspersa, nomen quod orationibus illustraverat sustinuisset nisi docendi parum pertinax esset.

Variis ingenii dotibus haud inferior Delphidio, moribus et constantia gravior, comis praeterea et liberalis indigis, omnem ambitum refugiens, *Latinus Alcimus Alethius* scholam Burdigalensem illustravit docendi studio, atque in foro, eloquentiae auxilium reis praestitit; adeo litteris omnes superiores adaequans ut Ausonius de eo canere posset:

Opponit unum quem viris prioribus
Aetas recentis temporis.
Palmae forensis et Camoenarum decus,
Exemplar unum in litteris,
Quas aut Athenis docta coluit Graecia,
Aut Roma per Latium colit [4]).

Itaque doctor, orator, scriptor, poëta, omnimodo absolutus exstitisse videtur.

Res humanae sic se habent ut tragoediis succedat co-

---

1) Lib. XVIII, c. 1.
2) *Ovid. Amor.* l. II elog. 9.
3) *Auson. Prof.* V.
4) *Profess.* II, 5—10.

moedia, admirationem excipiat ridiculum. Uti peractis seriis ridendo nos oblectent, inter graves admirandosque homines sese in altum attollere conantur homunciones, quo magis grandes videri cupientes, eo parvula figura iocis magis obnoxii. In illa, litteris semper ut hodie quoque inclyta, Tolosatum civitate, rhetor *Exuperius*, inflatus, sui amantissimus, gratissimum gerens animum quod semet ipsum tam excellentem creasset Natura, inter cives apparebat,

Incessu gravis et verbis ingentibus, ore
Pulcher, et ad summam motu habituque venusto:
Copia cui fandi longe pulcherrima; quam si
Auditu tenus acciperes, deflata placeret;
Discussam scires solidi nihil edere sensus [1].

Quum vidissent Tolosani tumenti magniloquentiae nullam inesse vim ac vitam nec pinguedinis nitore vires ostendi, rhetorem quem honoraverant toga, mox pepulerunt levitate pari. Cum gravitate sua et ampullis venustus homo migravit Narbonem ibique filios Dalmatii, quem patruus Constantinus imperii haeredem esse cum filiis iussit, grandi mercede docuit; hi Caesares cum essent, praeceptori honorem praesidis, Hispanumque tribuere tribunal. Vitam praedives finiit sede Cadurca [2]. Numquamne vidistis languentem sapientiam et modestiam, honoribus vero cumulatam vanitatem stupenti populo admirandam sese audacter offerentem?

Aliud adiiciamus exemplar. Tempore quo tenuis grammaticus Anastasius [3] male doceret grammaticam in urbe Pictonica, ibidem rhetoricam peius docuit *Rufus*, artis dicendi professor, ipse mutus ut eius imago, quod vitium Ausonius octo epigrammatibus [4] facete perstrinxit:

Ore pulchro et ore muto scire vis quae sim? — Volo. —
Imago Rufi rhetoris Pictavicae.

---

1) *Ib.* XVII.
2) *Ibid.*
3) Supra p. 116.
4) 45—52.

— Diceret sed ipse, vellem, rhetor hoc mi. — Non potest. —

Cur? ipse rhetor est imago imaginis.

Rhetorum Latinorum ultimi temporis quosdam libros primum a Pithoeo (1599) editos possidemus, ariditate technicarum regularum, et erudita ingenii paupertate macentes: ossa crederes ex eloquentiae tumulo eruta [1]).

Falso affirmant Conringius [2]) et Gothofredus [3]) nullos prorsus aliarum disciplinarum professores exstitisse in scholis Galliarum [4]). Iam enim (p. 39) e Iulio Capitolino audivimus Antoninum Pium non rhetoribus tantum sed *philosophis* quoque *per omnes provincias* honores et salaria detulisse. De eodem principe agens Modestinus [5]) nos docet *Legum doctores, in aliquo praesidatu seu provincia docentes*, remissionem onerum publicorum non habuisse; Romae autem docentes fuisse a tutela et cura liberos. Variis scientiis inclytos professores doctoresque probos laudat Ausonius,

Historia si quos vel poëticus stylus,
Forumve fecit nobiles:
Medicae vel artis dogma, vel Platonicum
Dedit perenni gloriae [6]).

Inter hos praecipuum locum obtinuisse *Staphylius* videtur, civis Auscius (Auch) in Novempopulis, qui primo in sua civitate docuit, grammaticus ad Scaurum et Probum, promptissimus rhetor, historiam callens Livii et Herodoti, omnis doctrinae ratio cui cognita, quantam condebat sexcentis Varro voluminibus.

---

1) *Antiqui rhetores Latini e Fr. Pithoei bibl. olim editi. recogn. etc. Claud. Caperonnerius*, Argentor. 1756. in-4.

2) *De antiquit. acad. dissert.* I, p. 17.

3) Ad rescriptum Gratiani anni 376 in Cod. Theodos. l. XIII, Tit. III, §. 11.

4) Conringius id de scholis provincialibus in genere affirmat.

5) L. 6 D. *de excusationibus.*

6) *Profess.* XXVI.

Praeterea, sicut eum alloquitur Ausonius,

> Aurea mens, vox suada tibi, tum sermo quietus,
> Nec cunctator eras, nec properante sono.
> Pulchra senecta, nitens habitus, procul ira dolusque,
> Et placidae vitae congrua meta fuit [1].

Verum quum adolescentes in academiis provinciarum, humanioribus litteris imbuti, delibatisque primitiis scientiarum ad altiora studia progredi vellent, Romam itabant, sicuti nostrates post gymnasium seu academiam universitatem adeunt. Romana schola studiorum totius Occidentis caput erat, uti Roma Imperii. Ibi celeberrimi omnium artium doctores audiebantur; eo confluebant iuvenes ex omnibus Orbis Romani provinciis, sed potissimum ex Africa, iam olim „nutricula causidicorum.“ Disciplina scholastica, exactior Africana, servabatur Romae [2]. In hac editiore et grandiore scena, inter studiosam iuventutem, ut inter professores et omnigenos litteratos fervidior intercedebat aemulatio. Ad maiorem omnis humanitatis gloriam, Hadrianus, „eloquio togaeque studiis accommodatior,“ ut scribit Aurelius Victor, Romae „ludum ingenuarum artium, quod *Athenaeum* vocant, constituit [3].“ Ibi, cum caeteris, Graeci et Latini rhetores et poëtae praelegebant [4]. Praeterea privati doctores, ut innotescerent, domi

---

1) *Profess.* XX.

2) Augustinus causas explicat cur Carthagine Romam perrexisset ad docendam rhetoricam. „Illa erat tum causa maxima et paene sola, ait, quod audiebam quietius ibi studere adolescentes et ordinatiore disciplinae coërtione sedari, ne in eius scholam quo magistro non utuntur passim et proterve irruant, nec eos admitti omnino nisi ille permiserit. Contra apud Carthaginem foeda est et intemperans licentia scholasticorum; irrumpunt impudenter et prope furiosa fronte perturbant ordinem, quem quisque discipulis ad proficiendum instituerit. Multa iniuriosa faciunt mira hebetudine et punienda legibus, nisi consuetudo patrona sit.“ *Confess.* l. V, c. 8.

3) *De Caesaribus*, c. 14.

4) *Lamprid.* in *Alex. Severo*, c. 35.

congregabant discipulos; hunc in modum S. Augustinus, qui rhetor Carthaginis adolescentes docuerat, Romae artem rhetoricam professus est [1]).

Saturninum Flavius Vopiscus refert in Africa rhetoricae operam dedisse, Romae vero frequentasse pergulas magistrales [2]).

Iuvenes commeabant Romam [3]) potissimum, iuris et eloquentiae addiscendae gratia; ibi enim, ut illi duo de quibus Symmachus l. V, epist. 74 scribit, acquirere poterant „scientiam iuris idoneam nimis in omnes usus iudiciarii et forensis officii.“ Claudianus Romam vocat „Armorum legumque parentem quae primi dedit cunabula iuris [4]).“ S. Augustinus Romam processerat ut ius disceret [5]). Constantinus in *Vita S. Germani*, c. I. narrat: „Ut in eum perfectio litterarum plena conflueret, post auditoria *Gallicana* intra urbem Romam iuris scientiam plenitudini perfectionis adiecit [6]).“ Huius rei etiam testis Rutilius Numatianus, sub Honorio scribens:

Facundus iuvenis Gallorum nuper ab arvis,
Missus Romani discere iura fori [7]).“

Eloquentiae gloria non secius florebat schola Romana. Romam ideo Symmachus vocat „domicilium Latiaris facundiae [8]),“ Cassiodorus „fecundam eloquentiae matrem [9]).“

---

1) *Confess.* l. V, c. 7 et 12.
2) c. 10.
3) Circa *Studiosos* Romam studiorum gratia sese conferentes, undecim leges academicae Valentiniani Senioris, in *Cod. Theodos.* l. XIV, Tit. IX. Anno 370.
4) *Panegyr. 3 in laudem Stiliconis*, v. 137.
5) *Confess.* l. VI, c. 8.
6) Alia praeterea testimonia affert *Gothofredus* ad *Cod. Theodos.* lib. XIV, Tit. IX.
7) *Itinerar.* l. I, v. 209; vide etiam *Hist. littér. de la France*, I, P. II, p. 12 §. XVIII, p. 18 §. XIX, p. 63.
8) L. VIII, epist. 69.
9) IV Variar. 6.

Notandum tamen professorum eius temporis vaniloquum quoddam genus tota mente in verbis defixum ad res animum minime attendens, „quales multos loquaces passus eram, ait Augustinus, conantes ea me docere et dicentes nihil [1].“ Hic ipse de se eandem prope levitatem fatetur. Quum praefectus Symmachus eum Roma Mediolanum misisset, ut illi civitati rhetoricae magister provideretur, venit is ad Ambrosium episcopum, in optimis notum orbi terrae. „Studiose audiebam disputantem in populo, ait Augustinus, tum rhetor, non intentione qua debui, sed quasi explorans eius facundiam utrum conveniret famae suae, an maior minorve proflueret quam praedicabatur, et verbis eius suspendebar intentus. Rerum autem incuriosus et contemptor astabam et delectabar suavitate sermonis [2].“

Ea aetate vulgo iactatum litteras Latinas Romae, non alibi, addiscendas, quae sententia Ciceronis tempore praevaluerat [3]. Nihilominus peregrini quoque magistri in urbe Roma rhetoricam publice professi sunt: inter hos Galli complures doctrina, ingenio, eloquentia laudem meruerunt.

Eorum quosdam exempli causa nominabimus. *Attius Patera* Baiocassis (Bayeux) stirpe Druidarum natus, Burdigalae morum et ingenii famam adeptus, sub finem regni Constantini M. „fandi nobilis“ [4] rhetor Romae gloriosissime docuit [5], et e numero discipulorum illustres vidit evadere oratores, unde Ausonio dicitur „doctor potentum rhetorum.“ Non ita multo post, medio seculo IV., *Tiberius Victor Minervius*, quem natura eximia memoria donaverat, itemque abundanti

1) *Confess.* V, 7.
2) *Ib.* 13.
3) *In Q. Caecilium Divinatio* c. 12: „Si optimis a pueritia disciplinis atque artibus studuisses atque in his elaborasses; si litteras Graecas Athenis non Lilybaei, *Latinas Romae*, non in Sicilia didicisses“ et q. s.
4) *Auson. Profess.* IV.
5) *Hieron. Chron.* l. II, ad An. 339.

et pura facundia, Burdigala oriundus ibi rhetoricam professus est, dein Constantinopoli, postea Romae, qua in urbe, teste Hieronymo [1], florentissime docuit [2]. Ausonius eum cum Quintiliani gloria conferens exclamat:

Asseret usque licet Fabium Calagurris [3] alumnum,
Non sit Burdigalae dum cathedra inferior.
Mille foro dedit hic [4] iuvenes; bis mille Senatus
Adiecit numero purpureisque togis;
Me quoque [5].

Cui primum locum in oratoris laude tribuunt Demosthenes, Cicero [6] et Quintilianus [7], actio, apud Gallos Romanorum tempore in maximo honore fuit, uti et hodie est, semperque erit inter eloquentiae admiratores. Hanc quoque oratoriam virtutem Minervio concedit poëta:

Et Demosthenicum, quod ter primum ille vocavit
In te sic viguit, cedat ut ipse tibi [8].

Eius insignia merita testata est invidia. Nam, ut Ausonius canit:

Ille superbae
Moenia Romae,
Fama et meritis,
Non sine morsu
Gravis invidiae,
Inclytus auxit [9].

In patriam reversus, primam suam cathedram ultimam re-

1) Chron. l. II, ad an. 849.
2) Vide Auson. Profess. I.
3) Hodie Calahorra, in finibus Navarrae et Castiliae veteris, Quintiliani patria.
4) Minervius.
5) *Auson. Profess.* I.
6) *De Orat.* l. III.
7) Lib. XI. c. 3.
8) *Auson. Prof.* I.
9) *Profess.* VI, 80—85.

cuperavit et ubi natus erat ibi docens diem obiit supremum; *Palladius*, quem e Gallia oriundum demonstrant Benedictini scriptores *Historiae litterariae Galliarum* [1], adeo spectatus fuit eloquentia, eruditione, amabilitate, ut, cum a cathedra ad altius officium accitus fuisset, dolerent litterarum fautores eum abductum a iuventute romana [2].

Symmachus eloquenter fatetur, si Musarum afflatum senserit, id se debere Gallicano rhetori, quem Romae professorem audivit. „Fatendum est, amice: Gallicanae facundiae haustus requiro: non quod his septem montibus eloquentia Latiaris excessit; sed quia praecepta rhetoricae pectori meo senex olim Garumnae alumnus immulsit. Est mihi cum scholis vestris per doctorem iusta cognatio. Quicquid in me est, quod scio quam sit exiguum, coelo tuo debeo. Riga nos ergo denuo ex illis Camoenis, quae mihi lac bonarum artium primum dederunt [3].“

His ex verbis coniici licet quanti Romae fierent Galli rhetores. Si peregrini magistri ab Imperatoribus, ipsis peregrinis, Romam pellecti, atque in honore habiti linguae Latinae puritatem corruperunt, uti monet doctissimus *Funccius* [4]), ea censura praeclariores e Gallia rhetores vix attingere videtur. Quin immo inerat Gallicanae facundiae ubertas quaedam et elegantia, cuius cum Romana indole consociatio utrique nationi usui erat. Hac enim mente Hieronymus ad Rusticum scripsit [5]: „Audio religiosam te habere matrem, multorum annorum viduam, quae aluit, quae erudivit infantem, ac post studia Galliarum, quae vel florentissima sunt, misit Romam, non parcens sumptibus, ut ubertatem Gallici nitorumque sermonis gravitas Romana condiret, nec calcaribus in te, sed frenis uteretur, quod et in disertissimis viris

---

1) l. I. P. II, 494.
2) *Symmachus* l. I, ep. 94; l. III, ep. 50.
3) L. IX, ep. 88.
4) *De Vegeta Ling. Lat. senectute*, c. I, §. 13.
5) *Ep.* 95.

Graeciae legimus, qui Asianum tumorem Attico siccabant sale, et luxuriantes flagellis vineas falcibus reprimebant; ut eloquentiae torcularia, non verborum pampinis, sed sensuum quasi uvarum expressionibus redundarent."

Celebritas professorum et litterarum gloria Gallicarum ipsum Hieronymum cum amico Bonosio Trevericam in urbem allexit, postquam Romae studiorum curriculum absolvissent. (Ubi eloquentiam quaesivit, insuper fidem nactus est [1]). Itaque Claudianus illa ad Honorium:

. . . te Gallia doctis
Civibus et toto stipavit Roma senatu.

Gallicis in civitatibus lucem litterariam splendentem, rhetores, oratores, poëtas, honoribus et divitiis auctos videmus. *Sedato*, rhetori Tolosano, Burdigala oriundo, dicit Ausonius:

Communis patria est tecum mihi: sorte potentis
Fati Tolosam nactus es sedem scholae.
Illic coniugium, natique, opulensque senectus,
Et fama, magno qualis est par rhetori. . . . . . .
Est tua nunc soboles, moremque secuta parentis,
Narbonem ac Romam nobilitat studiis [2]).

Eadem litteris inclyta Narbo *Marcello* amissam dedit patriam, eum in civium numerum adsciscendo;

Nobilis hic hospes Clarentius, indole motus
Egregium natam coniugio attribuit.

---

1) *Hier. ep.* 1; 4; *in Gal.* pr. 2. Eundem in modum Augustinus Ambrosium Mediolanensem episcopum audiens. *Confess.* l. V, c. 13 et 14.

2) *Prof.* XIX. Vinetus et Scaliger narrant seculo XVI.: „Sedato magnum honorem habuerunt Burdigalenses, qui non solum ossa eius in municipium suum transtulerint, sed et imagine hominem honorarint. Nam in eo loco qui hodie Podium Paulini dicitur, saxea imago locata fuit barbata, librum manu tenens: quo significatur eum cathedram docendi obtinuisse: et infra haec inscriptio legitur: *D. M. Sedatus.*"

Mox schola et auditor multus, praetextaque pubes,
Grammatici nomen, divitiasque dedit [1]).

Attamen praetenuis meriti fuisse videtur: sic habent sua fata non solum libelli sed libellorum quoque scriptores.

Quantum decus Galliae litterariae attulerint rhetorum primores, duorum amicorum exemplum declarat, Axii Pauli et Ausonii. *Axius Paulus,* in Aquitania tertia, non longe a montibus Pyrenaeis natus, litteris institutus fuit cum Ausonio, in Tolosae et Burdigalae scholis: inter Musas, eorum amicitia nata est et crevit. Absolutis studiis, Paulus causidicus in foro aliquandiu versatus est; postea rhetoricam docuit, fortasse in Santonum civitate. Graecis et Latinis litteris aeque imbutus fuit, epistolasque ad eum scripsit Ausonius sermone bilingui [2]). Celeber evasit Paulus poëmatibus variis adeo perfectis ut gravis iudicii periculum non subiret. Tragoediis et comoediis, maximam impendit curam. *Delirum* eius laudat Ausonius, „in re tenui non tenuiter laboratum." Paulo dicavit hic Edyllium VII. *Bissulam,* aliudque nimis famosum poëma; praeterea ad eum scripsit septem epistolas (VIII—XIV), quarum unam tantum (XI) oratione soluta.

Litterae Gallicae quarti seculi in *Ausonio*, si theologorum verbo uti licet, incarnatae apparuerunt. Quae in aliis laudat fere omnia ipse praestitit, rhetor, orator, poëta, ingeniosus homo et omnigenis venustatibus quas ista tempora amabant

---

1) *Ib.* XVIII.

2) *Ἑλλαδικῆς μετέχων μούσης*, Latiaeque camoenae.
Ἀξίῳ Αὐσόνιος sermone alludo bilingui . . . . . .
Κεῖνος ἐμοὶ πάντων μέτοχος, qui seria nostra,
Qui ioca *παντοδαπῇ* novit tractare *παλαίστρῃ* . . . . . .
Iam satis, *ὦ φίλε Παῦλε, πόνων ἀπεπειρήθημεν*,
Ἔντι foro causαις *τε καὶ* ingratαῖσι *καθέδραις*,
Ῥητορικοῖς ludοισι . . . . . .
Hic erit et fructus *Δημήτερος ἀγλαοκάρπου*.
Ἔνθα σοι εἶδαρ ἔοι, πολυχανδέα pocula *θέντι*
Κιρνᾷν, αἴκε θέλοις, νέκταρ vinοιο bonοιο. Ep. XII.

et elegantiis ex arte natis conspicuus auctor; rarior vero in eius scriptis, is qui Ciceroni laudatur „cum gravitate iunctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis, lepos [1]," aut ut idem alibi: „lepos quidam, facetiaeque et eruditio libero digna [2])." Acumen ingenii, concinnosque artis lusus ostentat, et amoenitates interdum pueriles quibus in servitute otiosi homines delectantur. Ausonium Hippocrenes aquas bibisse, litterarum amore fuisse percussum, ingeniosa invenisse multa, et interdum vel eloquenter seria agitasse, vel amoene lusisse haud infitias ibimus. Id tantum asserimus eum mentis et sermonis virtutes, quibus elegantiore seculo claris scriptoribus annumerari potuisset, cum vitiis corrupti seculi et corruptarum litterarum permiscuisse: quod tenendum est cum eum rhetores, oratores, poëtas sui temporis laudantem audimus. Plurimae in eius scriptis notitiae de litteris et litteratis hominibus istius aevi continentur, magnique haberi debent. Omnes vero tum Musae in rhetorum scholis versabantur. Ausonius ipse in talibus scholis et natus est et maiorem vitae partem degit. Burdigalensis medici filius, a matre et avo paterno primis imbutus litterarum et virtutis elementis, Tolosae usus est praeceptore avunculo suo Aemilio Magno Arborio, excellentissimo rhetore [3]). Ipse diligens et doctus, annos triginta natus, Burdigalae grammaticam docuit, mox rhetoricam. Duo de triginta annos iam docuerat, cum ab Imperatore Valentiniano I, Treviros vocatus Gratiani, principis filii, studiis praefectus fuit; quem honorem est consecutus fama qua inter rhetores eminebat. Principes comitatus est in bellicis expeditionibus, in Suevorum finibus, inter arma litterarum studia haud derelinquens. Postea discipulus praeceptori grati animi testimonia detulit quaesturam, praefecturam Imperii, denique consulatum. His in magistratibus,

---

1) *De Cl. Oratt.* 38, 143.

2) I *de Oratore*, 17.

3) Supra p. 59. *Auson. Prof.* XVI.

Ausonius, nomine potius quam re dimidiae Imperii partis rector fuerat. Tantum rhetorica tum pollebat. Imperatori praeceptor oratoriis ampullis gratias egit, uti mox suo loco dicemus.

Ex iis quae adhuc relata sunt liquet eam quam delineare orsi sumus periodum in rebus Gallicis prae ceteris emicuisse, non quidem puro pulchri sensu, nec Augustaea simplicitate atque elegantia, verum studiis tum florentissimis, ut modo ab Hieronymo didicimus [1]), fervente opere litterario, numero et meritis doctorum et professorum, laude qua eximii scriptores fruebantur. Galliae tum temporis litterarum sedes fuisse videntur, non secus atque olim Athenae vel Roma.

§. 12. *Eloquentia IV. seculo.*

Eos autem qui ad munera altioremque fortunam pervenire vellent via per „campum rhetorici eloquii", ut cum eodem Hieronymo [2]) loquar, ducebat in forum. Iurisprudentiae studium enim, causidicorum officium et fama gradus erant ad magistratus, Senatum, summosque honores. Ex eorum ordine quaestores, provinciarum praetores, consules eligebantur [3]). Ideo nullo alio tempore maior fuit numerus oratorum, litteratorum diserte loquentium, rhetorum, professorum, in primis vero iurisperitorum et advocatorum. Inter quos, quum sibi invicem aditus ad fortunam et honores obstruerent, impudentiae et pervicaciae exstitit aemulatio. In eorum orationibus non tantum eloquentiae apparebat quantum mordacis invidiae et lividae dicacitatis. Audiamus super iis Ammianum Marcellinum de Valentiniani et Valentis temporibus loquentem. Classicus certe locus.

---

1) *Ep.* 95; supra p. 69.

2) *Catalog. scriptor. eccles.*

3) *Hist. littér. de la France*, I, P. II, 10, 11.

„Florebant elegantiae priscae patrociniis tribunalia, cum oratores concitae facundiae attenti studiis doctrinarum, ingenio, fide, copiis ornamentisque dicendi pluribus eminebant . . . . . Excellentissimus omnium Cicero, orationis imperiosae fulminibus saepe depressos aliquos iudiciorum eripiens flammis, *non defendi homines sine vituperatione fortasse posse, negligenter defendi sine scelere non posse*, firmabat. At nunc videre est per eos omnes tractus violenta et rapacissima genera hominum, per fora omnia volitantium et subsidentium divites domos ut Spartanos canes aut Cretas, vestigia sagacius colligendo, ad ipsa cubilia pervenire causarum. In his primus est coetus eorum qui seminando diversa iurgia, per vadimonia mille iactantur, viduarum postes et orborum limina deterentes, et avidi inter discordantes amicos aut propinquos vel affines simultatum, ob levia scrinii receptacula odia struentes infesta: in quibus aetatis progressu, non, ut aliorum, vitia intepescunt, sed magis magisque roborantur, inter rapinas insatiabiles inopes, ad capiendam versutis orationibus iudicum fidem, quorum nomen ex iustitia natum est, sicam ingenii distringentes. Horum obstinatione libertatem temeritas, constantiam audacia praeceps, eloquentiam inanis quaedam imitatur fluentia loquendi. . . . Tertius eorum est ordo qui, ut in professione turbulenta clarescant, ad expugnandam veritatem ora mercenaria procudentes, per prostitutas frontes vilesque latratus, quo velint aditus sibi patefaciunt crebros: qui inter sollicitudines iudicum, per multa distentas, irresolubili nexu vincientes negotia, laborant ut omnis quies litibus implicetur, et nodosis quaestionibus, de industria, iudicia circumscribunt . . . . . Quartum atque postremum est genus impudens, pervicax et indoctum, eorum qui cum immature a litterariis eruperint ludis, per angulos civitatis discurrunt, mimo iambos, non causarum remediis congrua, commentantes, fores divitum deterendo, coenarum ciborumque aucupantes delicias exquisitas, qui cum semel umbraticis lucris et inhiandae undique pecuniae sese dediderint, litigare frustra quoslibet innocentes

hortantur: et ad defendendam causam admissi . . . suscepti nomen et vim negotii sub ore disceptatoris, inter ipsos conflictuum articulos instruuntur, circumlocutionibus indigestis ita scatentes, ut colluvionis teterrimae audire existimes ululabili clamore Thersiten. Cum autem ad inopiam muniendarum venerint allegationum, ad effrenatam deflectunt conviciandi licentiam: quo nomine, ob adsidua in personas honorabiles probra, diebus dictis aliquoties sunt damnati: e quibus ita sunt rudes nonnulli, ut nunquam se codices habuisse meminerint; et si in circulo doctorum auctoris veteris inciderit nomen, piscis, aut edulii peregrinum esse vocabulum arbitrantur . . . . Cumque intra cancellorum venerint septa, et agi coeperint alicuius fortunae vel salus, atque laborari debeat ut ab insonte gladius, vel calamitoso detrimenta pellantur, corrugatis hinc et inde frontibus, brachiisque histrionico gestu formatis, ut concionaria Gracchi fistula post occipitium desit, consistitur altrinsecus diu, tandemque ex praemeditato colludio, per eum qui est in verba fidentior suave quoddam principium dicendi exseritur, pro Cluentio vel pro Ctesiphonte orationum aemula ornamenta promittens: et in eam conclusionem, cunctis finem cupientibus, desinit, ut nondum se patroni, post speciem litis triennium editam causentur instructos: spatioque prorogati temporis impetrato, quasi cum Antaeo vetere colluctati, perseveranter flagitant pulveris periculosi mercedes [1].“

Romani quidem fori haec est tristis imago. Quis autem dubitet quin sub ea forma Gallicanum quoque forum agnosci possit? Multitudo in Galliis iurisperitorum, studiorum vinculum inter scholam Romanam et Gallicas scholas, Imperii et legum communio, Gallorum tandem et dicendi copia et sese extollendi ambitio coniici iubent inter Gallos et Romanos causidicos intimam intercessise vitiorum similitudinem. Quod forensis facundiae speciem attinet, in foro Gallico, uti in Romano, eloquentiae loco inveniebantur rhetoricae artificia.

---

1) *Ammian. Marcell.* l. XXX, c. 11—16.

Falso eam cognationem negare tentat Eumenius. „Neque enim, ait ille, tanta me aut negligentia aut confidentia tenet, ut nesciam quanta sit inter hanc aciem fori et nostra illa secreta studiorum exercitia diversitas. Ibi armantur ingenia, hic praeliantur. Ibi prolusio, hic pugna committitur. Hic plerumque velut sudibus et saxis, illic semper telis splendentibus dimicatur. Hic sudore et quasi pulvere sordidus, illic insignis ornatu laudatur orator [1].“ Pace Eumenii liceat profiteri eam non fuisse rerum aut sermonis diversitatem; ubique locorum, in foro, in schola, in aula, oratores, ut Panegyristarum exemplo videmus, non nisi rhetores fuerunt; splendidissimis omnes pugnabant armis, sed plerumque obtusis.

Si a forensi eloquentia ad civilem transeamus, eundem deprehendemus verborum tumorem, rerum inanitatem.

Nec doctorum hominum numerus et ardor, nec docendi periti professores, nec inter iuvenes aemulatio, nec ingeniorum acumen et elegantia, nec tandem Imperatorum benevolentia aut mercedis laudisque praemia antiquae eloquentiae liberum spiritum a mortuis revocare valuerunt. Disertos multos, verborum abundantia aut tinnitu, argutiis et sententiarum artificio insignes multos viderunt Galliae, nullum autem in scholis versantem aut e scholis egressum verum oratorem. Quum iam primis post liberam Rempublicam temporibus grandis potensque eloquentia cum libertate periisset, quonam modo ingenia trecentos per annos servitutis pondere oppressa ad sublimem eloquentiam sese attollerent? Gallorum praeterea nationi tum temporis loquentiae non minus amanti quam eloquentiae, satis erat vel buccis tumidis sesquipedalia verba efflare, vel impetuoso quodam ardore inflammari, vel ostentare eam ingeniosam subtilitatem quam eorum nepotes *bel esprit* vocarunt. Talis enim fuit, Romanorum tempore, Gallicorum indoles oratorum. Paululum a sensu detortis dici potuisset verbis Ammiani Marcellini [2]: „Pro philosopho

---

1) *Orat. pro instaur. scholis*, c. 2.
2) XIV, 18.

cantor et in locum oratoris doctor artium ludicrarum accitur."

Patet hoc vitium praecipue in rerum politicarum scientia et eloquentia, quae inde ab exeunte III. seculo totae in panegyricis Imperatorum continentur. Praeeunte C. Plinio Secundo, in foro celebri patrono, in *Epistolis* fere Ciceronis aemulo, in *Panegyrico Traiani* autem eloquentiae corruptore, oratores, hoc nomine indignissimi, laudationibus Imperatorum inter se certabant; adulationibus, declamationibus, verborum pompa, servilibus mendaciis, quisque alios superare tentabat. Omnia immoderata. Deficiente virtute, virtutis laudes ubique resonabant: amissae rei placet imago. Non satis erat summis laudibus efferre Imperatores: vel vilissimos dominos evehere ad deos assentatores nitebantur. Mentis humanae profanatione, tyrannorum favorem captabant. „Ad servilem prorsus adulationem," ait Heynius, processum est deinceps a rhetoribus, cum in panegyricis, quibus eloquii ostentationem faciebant, Imperatorum quoque laudes pro argumento adhibuerunt; tum ex iis delecti legati urbium Asiae ac Graeciae, ad Principem missi ad impetranda, quae vellent, beneficia, eius laudes oratoria copia amplificabant. Ita subnatus tandem est mos *inprimis ab urbibus Galliae, quae tum rhetoricis studiis florebat*, frequentatus sub Diocletiani et Maximiniani, tum Constantii et Constantini tempora, ut mitterentur ad Principem rhetores ad gratulandum de faustis eventis aut ad gratias agendas pro beneficiis acceptis [1]." Idem vir clarus alibi: „A sententiarum veritate et naturali enuntiatione sermonisque proprietate, perspicuitate et, si res ita ferret, venustate ex verborum dilectu, collocatione et numeris, aberratum erat ad verborum fucos, cincinnos et calamistrum, sententia aut neglecta aut obscurata; dumque acumen nimium, etiam in vulgaribus, venantur homines, inepta et frigida in medium afferunt. Non itaque mirum est, ea quae hanc aetatem exceperunt tempora ad horridam et squalidam oratio-

1) *Opusc. Acad.* VI, 91, 92.

nem prorsus descivisse; nihil enim est, quod, semel spreta simplicitate et elegantia, celerius properet ad barbariem, quam tragico et lyrico tumore ad vulgaria et per se tenuia translato progressa oratio [1]."

De Panegyristis recte Belgicus scriptor: „In quibus licet equidem non negaverim, quosdam ingenio non caruisse; brevi tamen, ut egregie Wyttenbachius monet, vel perfectissimum opus tale fuit, ut cum multas dicendi virtutes mirareris, tamen nescio quid requireres. Hoc nimirum erat illud libertatis bonum, quo, veluti spiritu, oratio animatur, quodque si absit, tanquam ex effoetis ac debilitatis lateribus, non sane generosa vox, sed inanis fractusque sonus editur [2]." „Et fuerunt fere rhetores, ait Wyttenbachius, atque in Gallia, quae tum eloquentiae studiis florebat, oratoriam factitabant. . . . Quo magis intelligitur, quum ne praemia quidem sua eloquentiae defuerint, plus ad eius detrimentum valuisse seculi labem, quam ad florem reliqua omnia adiuncta [3]."

Oratores ipsi intelligebant naturali gratia aut oratione libere fluente se haud loqui, ne satis quidem Latine. „Neque enim ignoro, confitetur incertus auctor *Panegyrici Constantino Aug. dicti* [4]) quanto inferiora sint ingenia nostra Romanis. Siquidem Latine et diserte loqui illis ingeneratum est, nobis elaboratum: et, si quid forte commode dicimus, ex illo fonte et capite facundiae imitatio nostra derivat." Mox loquitur de „inchoato potius studio, quam erudito." Eodem fere sensu *Latinus Pacatus* Theodosium Aug. sic alloquitur [5]: „Huc ac-

1) *Opusc. acad.* IV, 10.

2) *Van Goudoever, De diversa eloquentiae Romanae conditione libera republ. et sub Imperatt.* in *Commentatt. Latinis Tertiae classis Instituti regii Belgici;* vol. III; *Wyttenbachius* in *Bibl. Crit.* P. V. sive Vol. II, P. I, p. 12 et 13.

3) *Ib.* p. 14.

4) *Panegyr. Vett.* VIII, c. 1.

5) *Ib.* XII, c. 1.

cedit auditor Senatus, cui quum difficile sit pro amore quo in te praeditus est, de te satisfieri, tum difficilius, pro ingenita atque hereditaria orandi facultate, non esse fastidio rudem hunc et incultum transalpini sermonis horrorem, praesertim cum absurdae sinistraeque iactantiae possit videri, his ostentare facundiam, quam de eorum fonte manantem in nostros usque usus derivatio sera traduxit."

Oratores ad Imperatores mittendos Galliae civitates eligebant viros eloquentiae fama praestantissimos. Plures eorum nomen suum, atque corruptae eloquentiae et abiecti animi monumenta nobis reliquerunt in *Panegyricis veteribus*. „Eorum cognitio et comparatio cum veteribus, ait Wyttenbachius, utilissima est ad cognoscendum eloquentiae conversiones. Nam etsi ea aetate florerent, qua et libertatis spiritus defecisset, et ipsa eloquentia cum in rerum iudicio tum in verborum delectu graviter laboraret, habent tamen haud rara verborum sententiarumque lumina et nonnunquam felici quodam impetu ad priscam illam sublimitatem se attollunt; ut iis non ingenium adeo ac doctrina, sed temporum felicitas defuisse videatur [1]."

Haud infeliciter Panegyristae antiquos oratores, historicos et poëtas interdum imitati sunt [2]; fere laudandi quum puram poesim spirent, quantumvis a poëtico differat oratorium ingenium.

Agmen ducunt duo *Panegyrici* a *Claudio Mamertino*, in honorem Maximiniani Herculei, sub finem III. seculi Treviris coram ipso Imperatore habiti; altero [3] natalem urbis Romae commendavit; altero [4] natalem vitae Maximiniani. In ambobus laudes Imperatoris celebrantur, nec non in primo et laudes Diocletiani, qui in Oriente agebat cum inter Treviros esset eius collega. Non quidem inelegantes habendae sunt

---

1) *Bibl. crit.* P. V, 13.
2) Exempla in *Bibl. crit.* P. V, p. 18, 19, 22, 23, 25, 27, 30.
3) Anno 289 v. 290 v. 292.
4) Anno 291 v. 292.

eae orationes, pro temporis illius indole; orator fieri potuisset Mamertinus faustis Reipublicae temporibus, quum libertatis lacte ad fortitudinem et virtutem mentes nutrirentur. Nunc vero servitute corruptus, quidquid naturae beneficio in ipso erat ingenii, ad id intendit ut arte adulatoria corruptiorem faceret servitutem.

Mamertino honor contigit, si honor est, panegyricos in Galliam introduxisse et nauseabundarum assentationum primum dedisse exemplum. Alii non aliter gloriosi eius vestigia presserunt.

Horum numero non omninō adscribendus est *Eumenius*, Augustodunensis rhetor, de cuius vita et praecipua oratione supra diximus [1]. Is, ut virtute praestantior, ita in laudationibus moderatior, simplicitatis studiosior minus longe quam caeterorum panegyristarum plerique antiquorum oratorum exempla sequitur, minusque infideliter eloquentiae imaginem adumbrat. *Veterum panegyricorum* quatuor 3., 4., 6. et 7. Eumenii in fronte ferunt nomen: 1) *Oratio pro instaurandis scholis* (anno 297 p. Chr. habita); 2) *Panegyricus Constantio Caesari recepta Britannia dictus* Treviri (a. 296); 3) *Panegyricus Constantino Augusto dictus* (a. 310) [2] 4) *Gratiarum actio Constantino Augusto Flaviensium nomine* Treviris (a. 311).

---

1) p. 42—44.

2) Insignis in hac oratione laus Britanniae quam „omnibus beatiorum terris“ celebrat. „Merito te omnibus coeli ac soli bonis natura donavit, in qua nec rigor est nimius hiemis, nec ardor aestatis, in qua segetum, tanta foecunditas, ut muneribus utrisque sufficiat et Cereris et Liberi, in qua nemora sine immanibus bestiis, terra sine serpentibus noxiis; contra pecorum mitium innumerabilis multitudo, lacte distenta et onusta velleribus; certe quidem, quod propter vitam diligitur, longissimae dies, et nullae sine aliqua luce noctes, dum illa littorum extrema planities non attollit umbras, noctisque metam coeli et siderum transit adspectus, ut sol ipse, qui nobis videtur occidere, ibi appareat praeterire. (c. 9).

De auctoribus duorum panegyricorum ambigitur; cum vero Treviris dicti fuerint, Gallos auctores habuisse vix dubitari licet: alter *Panegyricus Maximiano et Constantio dictus* circa an. 307, in nuptias Constantini Augusti cum Fausta Maximiniani filia; alter *Panegyricus Constantino Augusto* anno 313, cum Constantinus, devicto Maxentio, ad Rhenum reversus esset.

Panegyricus nonus, *Constantino Augusto* eiusque filiis Caesaribus, cum natalem quintum celebrarent, dictus fuit Romae anno 321. Agitur in eo de bello adversus Maxentium et de Constantini victoris clementia. Auctorem habet haec oratio *Nazarium* quem „rhetorem insignem" vocat Hieronymus [1]. Moderatior in laudando et in totius orationis tenore, praecisione cogitationis eximius, „valet inprimis acumine ingenii et iucunda cogitandi profunditate, ut ex crebris illius sententiis facile omnibus patet [2]." Dicit, exempli gratia: „Optima aiunt esse remedia quae ad usum corrigendi nostri ex aliena calamitate nascuntur; verum animus pravitate, velut morbo, impeditus delectum boni non habet [3]." Multis in locis gravitate generosorum sensuum eloquens apparet [4]. Gloriae magistri sui Paterae habetur aemulus [5]. Eius filia Eunomia, christiana virgo, in eloquentia patri aequalis existimata fuit, teste Hieronymo [6].

Decimus Panegyricus vel *pro consulatu gratiarum actio Iuliano Augusto*, *Mamertini* nomen exhibet. Quum haec oratio anno 362 habita sit, nescio quomodo virorum doctorum quidam huncce cum Claudio Mamertino confuderint, cuius ultima oratio anno 292 dicta fuit [7]. Mamertinus iunior homo

---

1) *Euseb. Chron.* ad a. 328.
2) *Funccius, de Vegeta L. L. Senect.* Cap. VI, §. 13.
3) c. 22.
4) E. g. c. 31, 32.
5) *Auson. Profess.* XIV, 9.
6) *Euseb. Chron.* ad an. 339.
7) Supra, p. 155.

utique disertus erat, ut ait Cl. Heyne, et pro ea aetate artibus oratoriis imbutus; vis tamen eius dicendi non minus inquinata vitiis eloquentiae corruptae, non in rerum gravitate et affectus veritate, sed in variis ornamentis, verborum fuco, et acute dictis per antitheta, praesidia sua petentis . . . Habent sane acute dicta stimulos suos, quibus pungant, altius quoque penetrent animum, si ex ipsis rebus inter se cognatis et aptis sunt petita; non ab inani ingenii vel verborum lusu aut difficili ad assequendum subtilitate [1]."

Mamertinum Iulianus imperator honoribus cumulavit. Eum praefecit aerario, quod suis ipsemet virtutibus tribuit orator, qui Caesarem laudans propriam laudem haudquaquam negligit. „Quum me aerarium publicum curare voluisti, ait [2], quum quaereres virum animi magni adversus pecuniam, liberi adversus offensas, constantis adversus invidiam, me, qui tibi viderer eiusmodi, dilegisti." Idem potestate praefecti Italiam rexit cum Africa et Illyrico [3]. Nec is honorum terminus fuit. Non vero omnimodo eum laudandum censet Ammianus Marcellinus, qui ita narrat: Constantinum Iulianus „aperte incusabat, quod barbaros omnium primus adusque fasces auxerat et trabeas consulares, insulse nimirum et leviter: qui cum vitare deberet id quod infestius obiurgavit, brevi postea Mamertinum ad consulatum evexit, nec vita, nec splendore, nec usu, nec gloria horum cuiusquam similem, quibus magistratum detulerat amplissimum Constantinus; contra inconsummatum et subagrestem, et quod minus erat ferendum, celsa in potestate crudelem [4]." Pro tanta dignitate accepta gratias agit Mamertinus eo Panegyrico qui solus ex omnibus eius scriptis servatus est. Fastuose consulatum et ingressus est et gessit. Multa tamen habet eius oratio, ut observavit Wyttenbachius, verborum sententiarumque lu-

1) *Heynii Opusc. Acad.* VI, 111.
2) c. 1.
3) *Ammian. Marcell.* XXVI, 10.
4) l. XXI, c. 18.

mina; locum praecipue notat quo honesta atque eadem efficacissima Iuliani laudatio continetur, quam orator sub aliorum persona elegantissime conficit [1]).

Supra [2]) retulimus Ausonium a Gratiano ad summos honores promotum fuisse. *Pro consulatu gratiarum actionem Gratiano Augusto* dixit, quae inter Panegyricos veteres undecimum locum obtinet. Benefactoris virtutes, domesticas praecipue celebrat, caeteras leviter attingit. „Huius vero laudis locupletissimum testimonium est ad consulatum praeceptor evectus;“ verba sunt laudantis. Suam enim ipsius laudem ubique celebrat orator. Quem vero eloquentiae typum sibi finxerit, coniicere possumus cum acumina et illecebras adulatorias profundit atque facundiam Gratiani laudat. „Et aliqua, ait, de oratoriis virtutibus tuis dicerem, nisi vererer mihi gratificari. Non enim Sulpicius acrior in concionibus, nec maioris Gracchi commendabilior modestia fuit, nec patris tui gravior auctoritas. Qui tenor vocis, quum incitata pronuntias! quae inflexio, quum remissa! quae temperatio, quum utraque dispensas! quis oratorum laeta iucundius, facunda cultius, pugnantia densius, densata glomeratius aut dixit, aut, quod est liberum, cogitavit [3]) ?“

Latinus Pacatus Drepanius, Burdigala oriundus, Ausonii amicus, Gallia missus Romam, anno 391, Theodorio victoriam de Maximo tyranno gratulaturus, Panegyricorum duodecimum dixit. Antiquae simplicitatis imitatio, verecundia in laudando eam commendant orationem prae tot aliis rhetorica adulatione tumentibus. Hunc „scriptorem Plinio non inferiorem, et orationem eius omnium huius aevi scriptorum numerosissimam, cultissimam, eloquentissimam, ingeniosissimam“ vocat vir doctus, Casparus Barthius [4]). Regnum liberale Theodosii superiorum tyrannidi opponens Drepanius, pa-

---

1) cap. 13. *Bibl. Crit.* P. V, p. 82.
2) p. 145.
3) c. 29.
4) *Comment. in Claudian.* p. 559.

rem tunc dicendi tacendique libertatem ingeniosa effert laude. „Quia, ait, et illud me impulit ad dicendum, quod ut dicerem nullus adigebat, non enim iam coacta laudatio, et expressae metu voces periculum silentii redimunt. Fuerit, abieritque tristis illa facundiae ancillantis necessitas, quum trucem dominum, auras omnes plausuum publicorum ventosa popularitate captantem, mendax adsentatio titillabat, quum gratias agebant dolentes et tyrannum non praedicasse tyrannidis accusatio vocabatur. Nunc par dicendi tacendique libertas, et quam promptum laudare principem, tam tutum siluisse de principe. Libet igitur redditam postliminio securitatem loquendo experiri, libet, inquam, quia neminem magis laudare imperatorem decet, quam quem minus necesse est [1].“

Idem generosa et eloquenti indignatione in persecutiones quae religionis causa fiebant invehitur. Agitur de Euchrotia, Delphidii rhetoris [2]) uxore, quae supplicio affecta, ex Romanorum more, unco tracta fuit per carnificem et in Tiberim proiecta. „De virorum mortibus loquar? quaerit Pacatus, quum descensum recorder ad sanguinem feminarum, et in sexum, cui bella parcunt, in pace saevitum. Sed nimirum graves suberant invidiosaeque causae, ut unco ad poenam clari vatis matrona raperetur. Obiiciebatur enim atque etiam exprobrabatur mulieri viduae nimia religio et diligentius culta divinitas. Quid hoc maius poterat intendere accusator sacerdos? fuit enim, fuit et hoc delatorum genus, qui nominibus antistites, re vera autem satellites, atque adeo carnifices, non contenti miseros avitis evolvisse patrimoniis, calumniabantur in sanguinem, et vitas premebant reorum iam pauperum. quin etiam, quum iudiciis capitalibus adstitissent, quum gemitus et tormenta miserorum auribus ac luminibus hausissent, quum lictorum arma, quum damnatorum frena

---

1) cap. 2.

2) Supra 128—131. De Euchrotia eiusque filia Procula, Priscillianistarum sectae addictis, legendus *Vinetus in Auson. Profess.* V, ad vers. ult.

tractassent, pollutas poenali manus contactu ad sacra referebant, et caerimonias, quas incestaverant mentibus, etiam corporibus impiabant [1]."

Rectum elegantiarum pulchrique sensum in Drepanio, purumque de litteris iudicium admirans Ausonius, quamvis natu maior, eum quem filium vocat censorem suorum elegit scriptorum, sic enim eum alloquitur dicans *Ludum septem Sapientum* [2]:

Ignosenda isthaec an cognoscenda rearis,
  Attento, Drepani, perlege iudicio.
Aequanimus fiam te iudice: sive legenda,
  Sive tegenda putes carmina, quae dedimus.
Nam primum est meruisse tuum, Pacate, favorem:
  Proxima defensi cura pudoris erit . . . . . .
Interea arbitrii subiturus pondera tanti,
  Optabo, ut placeam: sin minus, ut lateam.

Quanquam omnibus temporibus pleno amne flueret Gallica facundia, solemnes panegyrici, maxima cura praeparati, memoriter habebantur, nunquam effundebantur ex tempore. „Nec mihi verba, quamvis imparata, defuissent," ait *Eumenius* Constantino gratias agens [3]. „Quis enim aut praeparare se ad beneficia tam insperata potuisset, aut ab tanta gratulatione cohiberet? Sed habui rationem loci ac temporis, ne meus ille ardor animi studiumque dicendi tibi quidem (quod mihi ad immortalitatem sufficeret) probaretur, sed propter adsistentium paucitatem minus, quam te dignum esset, iret in populos, si te, uno die de salute nostra multa tractantem, moraretur oratio, quae pro magnitudine meritorum tuorum festinare non posset."

Falsae plerumque eloquentiae ista monumenta vera multa nos docent super statu Gallicarum provinciarum et super hominum mentibus. Nonnulla exempli gratia proferre satis

---

1) c. 29.
2) *Edyllion* quoque *XII.* ei inscripsit.
3) VII. c. 1.

erit. Aeduorum civitatem videmus „iacentem, non tam innixam Romanis, quam virium defectione prostratam, nec tamen iuste queri poterat, cum Gallicani census communi sorte teneretur. Cultores pigebat laborare sine fructu. Ager, qui nunquam respondebat impendiis, deserebatur, etiam inopia rusticanorum, quibus in aere alieno vacillantibus nec aquas deducere, nec silvas licuit excidere. Quidquid olim fuerat tolerabilis soli, aut corruptum tum fuit paludibus, aut sentibus impeditum; interclusis vastitate meatibus, quidquid humilitate sua fuerat uberius, in voraginem et stagna conversum. Ipsae vineae ita vetustate senuerant, ut culturam iam pene non sentirent. Ceteris illius regionis civitatibus ipse Constantinus illacrimasse se confessus est. Qua via ducebat in Belgicam, vasta omnia, inculta, squallentia, muta, tenebrosa, etiamsi militaris via fuerit, ac confragosa et alternis montibus ardui aditus atque praecipites, ut vix semiplena carpenta, interdum vacua, transmitterent [1]."

Talis fuit universa paupertas postquam florentissimos quondam agros et urbes Barbari possedissent. Miseriores vero regiones videbantur quae a vastitate barbarica, terrarum intervallis separata, iudicum nomine a nefariis latronibus obtinebantur: ibi ingenua suberant indignis cruciatibus corpora; nemo ab iniuria liber, nemo intactus a contumelia, nisi qui crudelitatem praedonis pretio mitigasset; ut iam barbari desiderarentur, ut praeoptaretur a miseris fortuna captorum [2]. — Visne barbarorum equites noscere? audi *Nazarium*. „Quae enim illa fuisse dicitur species? quam atrox visu? quam formidolosa? operimento ferri equi atque homines pariter obsepti. Clibanariis in exercitu nomen est. Superne omnibus tectis, equorum pectoribus demissa lorica, et crurum tenus pendens, sine impedimento egressus, a noxa vulneris vindicabat . . . . His disciplina pugnandi est, cum aciem arietaverint, servent impressionis tenorem, et, immu-

1) VII. *Eumen. Gratian. actio*, c. 6 et 7.
2) X. *Mamertini, Gratiar. actio*, c. 4.

nes vulnerum, quidquid oppositum, sine haesitatione perrumpant [1].“ — Sub corruptissimis Imperatoribus corruptissimum aulicorum et assentatorum genus ad vivum delineavit *Mamertinus* [2]. — Eundem audiamus de litterarum studiis. „Nullum iam erat bonarum, artium studium. Militiae labor a nobilissimo quoque pro sordido et illiberali reiiciebatur. Iuris civilis scientia, quae Manilios, Scaevolas, Servios in amplissimum gradum dignitatis evexerat, libertorum officium. Oratoriam dicendi facultatem, multi laboris et minimi usus negotium, nostri proceres respuebant; dum homines voluisse videri volunt, quod adsequi nequiverunt. Et vere tantum laboris vigiliarumque suscipere ad id adipiscendum, cuius usus agendae vitae ornamenta non adiuvaret, dementia ducebatur. Itaque erat omne studium pecuniae coacervandae; tanto enim vir quisque melior, quanto pecuniosior, habebatur [3].“

Panegyrici auctores, suosmet sensus quum exprimunt, aevi sui fidelissimam imaginem saepius exhibent inviti. Diuturna servitute enervati adeo ab antiquo libertatis spiritu abhorrebant et liberae Reipublicae mores despiciebant, ut *Ausonius* et *Mamertinus* in *Gratiarum actionibus pro consulatu*, quod consulatum non populi suffragiis sed unius Imperatoris favore accepissent, gloriarentur. „Consul ego, Imperator Auguste, ait Ausonius, munere tuo, non passus septa, non suffragia, non puncta, non loculos: qui non prensaverim manus, nec consalutantium confusus occursu, . . . qui tribus non circumivi, centurias non adulavi: . . . Romanus populus, Martius campus, equester ordo, rostra, ovilia, Senatus, curia, unus mihi omnia Gratianus.“ Etiam Mamertini notandus de populi suffragiis locus. „An vero, si Centuriatis comitiis consul creatus essem, gloriosius mihi universi populi suffragiis declaratus viderer? Minime . . . . . Nec sane potest in confusa imperitorum multitudine quidquam esse perpen-

1) IX. *Panegyr. Constant.*, c. 22 et 23.
2) X. *Grat. act.* c. 19.
3) *Ib.* c. 20.

sum. Nam cum boni rari sint, improborum vulgus immensum, in Campo autem numerus et turba praepolleat, sine dubio intelligitur, cum suffragiis populi magistratum capere, quem plures, id est, quem peiores probarunt [1]."

Adulationibus potissimum servilem animum declarant isti oratores, quum in assentationis adiumentum religione abutuntur. Numen, divinitatem, coelum imperatoriae maiestati ornamento esse cogunt. Ausonius, laudato ingenio Gratiani, ut cresceret adulatio, a religione vel sensus vel saltem verba mutuatus, proxime ad deum evehit benefactorem suum. „Rationem felicitatis nemo reddit. Deus, et qui Deo proximus, tacito munera dispertit arbitrio: et beneficiorum suorum indignatus per homines stare iudicium, mavult de subditis dedisse miraculum [2]."

Mamertinus Panegyricum Maximiano Herculeo his incipit verbis: „Cum omnibus festis diebus, sacratissime Imperator, debeat honos vester divinis rebus aequari, tum praecipue celeberrimo isto et imperantibus vobis laetissimo die veneratio numinis tui cum sollemni sacrae urbis religione iungenda est." Mox: „te praesentem intuemur deum" (c. 2). In *Genethliaco* eidem dicto: „Apud tanti praesentiam Numinis hoc ipsum mihi maximum dicenti videbatur, ut dicerem" (c. 1). „Cum mihi auditionis tuae divina dignatio eam copiam tribuit." (c. 6. c. 5). Mitto „divinam mentem" Imperatoris, „verba divina, coelestes litteras [3]." Mitto affirmationem Maximianum a Hercule et Iove descendisse, quippe Iupiter cum Imperatore collatus non ubique primas partes obtinet: „Ne Iupiter quidem ipse tanta celeritate faciem coeli sui variat, quam facile tu, Imperator; togam praetextam sumto thorace mutasti, a curuli in equum transtulisti, caet." (c. 6) Haud mirum igitur inter maximos mortalium neminem Maximiano aequiparari posse. „Vides, Imperator, non inve-

1) c. 16 et 19.

2) Vid. et supra p. 44.

3) III. *Eumen. pro inst. schol.* c. 18.

nire me ex omni antiquitate, quod comparem vobis, nisi Herculeae gentis exemplum. Nam ille quidem magnus Alexander iam mihi humilis videtur.“ (*Panegyr*. c. 10). Non enim Alexandro, siculi Maximiniano „tempestatum opportunitas obsequebatur,“ (c. 12.)

Dominis in populos absolutum imperium affectantibus moris est cum civili potestate sacerdotii auctoritatem in semetipsis confundere, ut quasi coeleste signum in fronte ferentes maiorem subditis venerationem aut terrorem inspirent. Qui vero primo *sacri* tantum videri cupiunt, sacratasque aedes habitant, mox *divi* haberi volunt, eosque divos salutat adulatio. Divi fuerunt assentatoribus, historicis, populo, deinceps C. Iulius Caesar, Augustus, Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, Domitianus, ceterique huius notae dii maiorum gentium. Velleius Paterculus, servili voce ad coelos tollit Imperatores, diisque associat. Scribit de Caio Caesare: „Circa Alexiam tantae res gestae, quantas audere vix hominis, perficere pene nullius, nisi Dei fuerit [1].“ — Eiusdem „sprevit coelestis animus humana consilia [2].“ Tiberii opera Paterculo „coelestissima [3]“ sunt. — „Sacravit parentem suum Caesar non imperio sed religione, non appellavit eum sed fecit deum [4].“ Valerii Maximi, qui in Prologo libri sui scripsit: „Deos enim *reliquos* acepimus, Caesares dedimus,“ innumera sunt exempla in quibus, ut ipse loquitur, „coeli clarissima pars divi fulgent Caesares [5].“ Ubique divinam Providentiam, sive ipsius verbis, coelestium numen Caesaribus favisse monstrat; auspiciis, ominibus, prodigiis, somniis, miraculis, coelestes dii terrestres adiuvant [6]. Nil est igitur quod miremur quum adulatores panegyrici religiosae adorationis

---

1) *Histor.* II, 47.
2) II, 60.
3) II, 104.
4) II, 126.
5) II, 1, 10.
6) Lib. I. c. 4—8.

verbis utantur, e. g. in narratione Maximiniani et Diocletiani in Italiam per Alpium iuga reditus. „Nunc autem“ (ita canit adulatorius buccinator) „ut primum ex utrisque Alpium iugis vestrum Numen effulsit, tota Italia clarior lux diffusa, omnibus qui suspexerant aequa admiratio atque dubitatio iniecta, quinam de illis montium verticibus orirentur? an his gradibus in terras coelo descenderent? Ut vero propius propiusque coepti estis agnosci, omnes agri oppleti, non hominibus modo ad visendum procurrentibus, sed etiam pecudum gregibus remota pascua et nemora linquentibus: concursare inter se agricolae, nuntiare totis visa, arae incendi, tura poni, vina libari, victimae caedi, cuncta gaudio calere, cuncta plausibus tripudiare, Diis immortalibus laudes gratesque cantari, non opinione traditus, sed conspicuus et praesens Iupiter cominus invocari, non advena, sed Imperator Hercules adorari [1].“

Christianorum ideae inter paganos tum obscure serpebant et profanam mentem unius et alterius panegyricorum scriptorum irrepserant. Quod antiqua philosophia suspicabatur, sancta vero Christi religio clare docet de spiritu divino cum hominis spiritu sese communicante, id isti, cum mythologia miscentes, in adulationem converterunt: adeo servilibus sensibus sanctissimum quodque corruperunt! Audite, quaeso: „Habes profecto aliquid cum illa mente divina, Constantine, secretum, quae, delegata nostri Diis minoribus cura, uni se tibi dignatur ostendere [2].“ Iterum: „Quid in consilium, nisi divinum Numen habuisti [3]?“

---

1) *Mamert. Geneth.* c. 10. Huiusmodi adulationis exempla etiam exhibet *Wyttenb.* in *Bibl. Crit.* P. V, p. 20—25.

2) VIII. *Incerti Paneg.* c. 2.

3) *Ib.* c. 4. Dignum est notatu scriptorem hunc inter pantheismum et deum personalem, uti dicimus, omnipotentem et optimum dubitatione in utramque partem vacillare. Hac enim prece Deum incognitum (Acta Apost XVII, 23) adorat: „Te, summe Sator, cuius tot nomina sunt, quot gentium linguas esse vo-

Ea secula, quorum voces nunc audivimus, Imperatores inhumanos complures viderunt; non mirum, quippe quum assentatio eos ab humano genere separaret, laudatoresque sese, uti modo audivimus, cum „pecundum gregibus" consociarent, ipsi „servum pecus." Eloquentiam vero nihili fuisse patet: nec enim inter Deos versatur, nec inter pecudes; tóta humana est. Oratores autem, qui tum hoc nobile nomen dehonestaverunt, inhumanitati plaudebant. Eumenius Constantino dicere audet: „Reges ipsos Franciae, qui, per absentiam patris tui, pacem violaverant, non dubitasti *ultimis* punire *cruciatibus:* nihil veritus gentis illius odia perpetua et inexpiabiles iras. Cur enim ullam reputet iustae severitatis offensam Imperator, qui, quod fecit, tueri potest? .. Te, Constantine, quantumlibet oderint hostes, dum perhorrescant. Haec est enim vera virtus, ut non ament, et quiescant" (*Paneg.* VI. c. 10). Haec vera virtus tyrannorum, haec vera eloquentia servorum. Mox, ne sola hostes regum suorum supplicia moererent, immissam populis vastationem laudat (c. 12). Quod fieri posse non videbatur, adulatio ulterius progressa est in laudanda Constantini crudelitate. „Toto Rheni alveo, oppleto navibus, devectus terras eorum ac domos

luisti, quem enim te ipse dici velis, scire non possumus; sive in te quaedam vis, mensque divina est, qua, toto infusa mundo omnibus miscearis elementis, et sine ullo extrinsecus accedente vigoris impulsu per te ipse movearis: sive aliqua supra omne coelum potestas est, qua hoc opus suum exaltiore naturae arce despicias. . . Est certe summa in te bonitas, est et pietas; et ideo, quae iusta sunt, velle debes; nec abnuendi est causa cum possis. Nam si est aliquid, quod a te bene meritis denegetur, aut potestas cessavit, aut bonitas." (c. 26). Panegyristae veteres, antiquae Romanorum religioni addicti fuerunt. Ausonium vero, quamvis de eo viri docti dubitaverint, haud incertum videri potest, perlectis eius operibus, Christianum fuisse, at cultu potius quam interiore pectoris vita. Tantillum Christi imperio eius animus utebatur, ut non minus servilibus quam caeteri laudibus Imperatorem oneraret.

moestas lugentesque populatus es, tantamque cladem vastitatemque periurae genti intulisti, ut post vix ullum nomen habitura sit.“ (Periura omnis gens oppressori videtur, Caesar sit an Constantinus, quae libera nata libertatem ereptam vindicare nititur). „Quid hoc triumpho pulcrius?“ exclamat officiosus orator, „quod caedibus hostium utitur etiam ad nostrum omnium voluptatem, et pompam munerum de reliquiis barbaricae cladis exaggerat. Tantam captivorum multitudinem bestiis obiicit, ut ingrati et perfidi non minus doloris ex ludibrio sui, quam ex ipsa morte patiantur [1].“ En vilitatis et abiecti animi audacia! Non minus vilis simulata audacia sinceritatis. Si quis istorum rhetorum magnopere laudatum Imperatorem maioribus laudibus cumulare velit aut iam cumulet, quasi Catonis toga involutus exclamat: „Ita dicam, at fortasse quibusdam videar audacior; veritas tamen meae erga te devotionis appareat [2];“ aut rursus: „Dabit veniam clementia tua, si audaciorem veritas facit [3].“ Servitus audaciae frontem ferens, servitutis abiectissima conditio.

Avertamus tandem oculos ab isto turpissimo civilis societatis morbo; ab infima ascendamus ad altiorem et puriorem eloquentiae regionem. Sursum corda!

Nobilis eloquentiae monumenta reliquit IV. seculum in scriptis doctorum christianorum. Ausonii discipulus, dein amicus, *Pontius Paulinus*, ad quem complures eius epistolae exstant, Burdigalae natus in illustri et divite domo, ipse primo rhetor in schola inclaruit, dein causis in foro agendis se addixit, atque consulares honores adeptus est. Quum vero eum coelesti ardore inflammavisset Christianorum fides, relictis profanis studiis et honoribus in intimum mentis asylum recessit, et sanctitati vitae propagandaeque religioni totus incubuit. Ecclesiae Nolae episcopus Sancti meruit cognomen. Quid in-

---

1) VIII. *Incerti Paneg.* c. 22 et 23.

2) V. *Incerti Panegyr. Maximin. et Constant.* c. 7.

3) IX. *Nazarii Paneg.* c. 4.

terfuerit tum inter christianum oratorem et oratorem, in scriptis saltem, paganum, diiudicare liceret nisi temporis invidia *Panegyrico Theodosii*, quem Paulinus scripserat, quemque cum Ausonii Panegyrico conferre potuissemus, nos privavisset. D. *Hieronymus*, ad Paulinum scribens, id opus magnopere laudat: „Librum tuum, quem pro Theodosio principe prudenter ornateque compositum transmisisti, libenter legi; et praecipue mihi in eo subdivisio placuit. Quumque in primis partibus vincas alios, in penultimis teipsum superas. Sed et ipsum genus eloquii pressum est et nitidum: et quum Tulliana luceat puritate, crebrum est in sententiis. Iacet enim (ut ait quidam) oratio, in qua tantum verba laudantur. Praeterea magna est rerum consequentia, et alterum pendet ex altero. Quidquid assumseris, vel finis superiorum, vel initium sequentium est. . . . . Macte virtute, qui talia habes rudimenta, qualis exercitatus miles eris [1]?"

In cathedra templorum christianorum renovata ars oratoria, cum scholarum rhetorica et rhetorum artificiis non penitus divortium fecit. Sancti viri quidam, olim rhetores, profanae artis doctrinis imbuti manebant. E corrupti seculi scaturigine manantes rivuli eorum eloquentiae fluvium turbabant. At dum ii rhetores, arte puerili capti, sententiis et verbis adhuc ludebant, meri christiani apostoli, sancta et salutari veritate permoti, pro salute animarum fortiter pugnantes, cum erroribus et vitiis bellum susceperunt. Audacter loquebantur imminente capiti tyrannidis gladio; fortiter loquebantur, Numinis auxilio freti; persuasibiliter loquebantur, quippe persuasi. Coelesti lumine mentes illuminabant; coelestia fulmina in eorum manibus fulgebant; Dei ministri, divina maiestate incedebant; aeternitatis prophetae, aeternitatem minitabantur, promittebant, aeternos animos terrebant, solabantur.

Dum tota illa rhetorum facundia, de qua satis super-

---

1) *Epist.* 49, ad Paulinum.

que diximus, unguentis effluens et calamistrata, interdum mollis incederet, interdum turgida sese attolleret, apostolorum et episcoporum eloquentia, eloquentiae nomen ignorans, inter populum conversabatur, ad rem attendens, verba negligenter effundens, ignaris lumen, pauperibus solatium, animis sibi mali consciis condonationem offerens. Eloquio sermoni quotidiano propiore omnia efferebantur. Homo audiebatur, non orator. Inde in concionibus ipsis doctores cum auditoribus familiariter loquebantur. Hac quodammodo domestica, ut inter familiares, dicendi simplicitate, veritatis studio congrua, nova exsurrexit eloquentiae forma. Verborum vim quam delectum, imaginum efficaciam quam elegantiam, sententiarum profunditatem quam acumina malebant Dei nuntii: in sublimitate rudes, in maiestate humiles, in elegantioribus orationibus non sine venustate leporem aspernantes. Inde eloquentia, non concinna quidem, sed potens, flagrans potius quam splendida. Talem se praestitit *Sanctus Ambrosius*, Treviris natus ibique primis studiorum elementis imbutus, qui vero pollens orator evasit, ex Apostolorum, non e rhetorum schola. In eius et persona et eloquentia expressam habemus vivam episcoporum potestatis imaginem quarto seculo, ut in Bossuet, seculo decimo septimo, Gallicanae ecclesiae maiestatis.

E manibus rhetorum, apud quos in litteris et eloquentia multum profecit, elapsus, *Hilarius*, episcopus factus est natalis civitatis Pictonicae, sanctusque fuit re et cognomine. Eloquentiae specimina dedit contra Arianos et pro defensione orthodoxae fidei in compluribus conciliis, in quibus doctor duras quaestiones solvit, sacerdos sacerdotii dignitatem orationis dignitate aequavit, ecclesiae tribunus animos agitavit ad propulsandos errores, ad defendendam, quae ipsi videbatur, sacrosanctam veritatem. Orationum quas Hilarius pronuntiavit ne fragmentum quidem remanet. At saepe in eius theologicis scriptis oratoris vel persuasionem vel impetum agnoscimus, sive episcopus congregatis auditoribus psalmum aliquem explicet (commentarios eius enim scimus coram populo expositos fuisse oratione antequam conscriptos et

editos [1], sive alloquatur episcopos et coetum fidelium [2], sive Imperatorem Constantium mitibus et verecundis verbis ad veritatem revocare tentet [3], sive in eum pervicacem tribunitia vehementia invehatur, uti I. I. Rousseau in archiepiscopum Parisiensem [4]. D. Hieronymus scripsit: „Hilarius duodecim Quintiliani libros et stylo imitatus est et numero“: [5] sed nec ad huius rhetoris elegantiam attingit nec ad Ciceronis puram, fluidam, ornatam et naturalem facundium [6]. „Sanctus Hilárius, ait idem Hieronymus, Gallicano cothurno attollitur, et quum Graeciae floribus adornetur, longis interdum periodis involvitur, et a lectione simplicium fratrum procul est [7].“ Verum, quamquam minore cum elegantia, mox sublimem spiritum sentire credas magni illius Gallorum episcopi Bossuet, quum erroribus immotae semperque de haereticis triumphantis ecclesiae imaginem oculis subiicit [8]. „Magna, inquit, vis est veritatis, quae cum per se intelligi non possit, per ea tamen ipsa quae ei adversantur elucet: ut, in natura sua immobilis manens, firmitatem naturae suae quotidie dum attentatur acquirat. Hoc enim ecclesiae proprium est, ut tum vincat cum laeditur, tum intelligatur cum arguitur, tum obtineat cum deseritur. Omnes quidem illa secum atque intra se vellet manere, nec ex tranquillissimis sinibus suis aliquos abiicere aut perdere, dum indigni fiunt tantae matris habitaculo: sed discedentibus ex ea haereticis vel abiectis, quantum amittit occasionis largiendae ex se salutis, tantum assequitur ad fidem expetendae de se beatitudinis...... Hae-

1) *Hist. littér. de la Fr.* I, P. I, 174 et 177.

2) E. g. in *Auxentium* episcopum Arianum.

3) *Ad Constant. Libri.*

4) *Lettre à Christophe de Beaumont.*

5) *Epist.* 84.

6) „Brevi libello quem scripsit contra Dioscorum medicum quid in litteris possit ostendit.“ *Ib.*

7) *Epist.* 50.

8) *de Trinitate* lib. VII.

retici omnes contra ecclesiam veniunt; sed dum haeretici omnes se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt. Victoria enim eorum, ecclesiae triumphus ex omnibus est: dum in eo haeresis contra alteram pugnat, quod in haeresi altera ecclesiae fides damnat. Nihil enim est quod haereticis commune est: et inter haec fidem nostram dum sibi adversantur, affirmant [1].“

Mox tonantem audire tibi videris Demosthenem, aut acriter adversarios impugnantem Mirabeau, vel civilis societatis dominatores territantem Lamennais, quum tyrannum, fidelium persecutorem, minax persequitur. Vehementer et ex abrupto incipit *contra Constantium Augustum liber*, indignationis plenus, quod is princeps ad propagandum per totam ecclesiam Arianismum blanditiis usus fuerat et minis et vi.

„Tempus est loquendi, quia iam praeteriit tempus tacendi. Christus expectetur, quia obtinuit Antichristus. Clament pastores, quia mercenarii fugerunt. Ponamus animas pro ovibus, quia fures introierunt, et leo saeviens circumit. Ad martyrium per has voces exeamus, quia angelus Satanae transfiguravit se in angelum lucis.“ — Constantii deinde perfidam in religionem inimicitiam describit: „At nunc pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum, qui non dorsa caedit, sed ventrem palpat; non proscribit ad vitam, sed ditat in mortem; non trudit carcere ad libertatem, sed intra palatium honorat ad servitutem; non latera vexat, sed cor occupat; non caput gladio desecat, sed animam auro occidit; non ignes publice minatur, sed gehennam privatim accendit; non contendit ne vincatur, sed adulatur ut dominetur. Christum confitetur, ut neget; unitatem procurat, ne pax sit; haereses comprimit, ne Christiani sint; sacerdotes honorat, ne episcopi sint; ecclesiae tecta struit, ut fidem destruat.“ Mox ipsum Imperatorem vehementer alloquitur: „Proclamo tibi, Constanti, quod Neroni loquuturus fuissem,

1) *de Trinitate* l. VII. Edit. Paris 1651, p. 132.

quod ex me Decius et Maximinianus audirent: contra Deum pugnas, contra ecclesiam saevis, sanctos persequeris, praedicatores Christi odis, religionem tollis, tyrannus non iam humanorum, sed divinorum“ . . . . .

Crescente oratione orthodoxae fidei adversarium obiurgat: „At vide tu, si praeferens nomen Domini in verbis, voluntatem efficias Dei patris in rebus. Clamat ille: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Et tu decernis non esse filium, neque esse patrem, sed adoptionis nomina, externas nuncupationes, et simulantem de se omnia Deum novus hodie religionis diviuae persecutor inducis. Antehac patres tui in solum Christum hostes fuerunt. Tu autem ad patrem Deum certas, ut mendax sit, ut fefellerit, ut hoc de se professus sit quod non esset, quasi neque possit. Clamat filius: Ego et pater unum sumus. Et: Operibus meis credite, quia pater in me et ego in patre. Et: Omnia quae patris sunt, mea sunt: tu Christum obiurgas veritatis; tu patrem arguis professionis. Emendas Deum homo, vitam moderaris corruptio, et nox lucem illuminas, et promulgas fidem infidelis, et pietatem impius mentiris, et orbem profana simultate committis, negans hoc de Deo quod ipse professus est.“ Et re et forma acriorem incusationem apud summos oratores vix invenies. Non minor est vis eorum quae sequuntur. „Osculo sacerdotes excipis, quo et Christus est proditus; caput benedictioni summittis, ut fidem calces; convivio dignaris, ex quo ludas ad proditionem egressus est; censum capitum remittis, quem Christus ne scandalo esset exsolvit; vectigalia Caesar donas, ut ad negationem Christianos invites; quae tua sunt relaxas, ut quae Dei sunt amittantur. At nunc fructus operum tuorum, lupe rapax, audi.“

Interdum interrogando urget adversarium; fremit et terret, dum actuum eius intimam significationem revelat, ipsum coram defunctis et aeternitate sistit: „Cuius enim tu exinde episcopi manum innocentem reliquisti? Quam linguam non ad falsiloquium coëgisti? Quod cor non ad damnationem anterioris sententiae demutasti? . . . . Christianum te loque-

ris? sed quam non sis, ipse testaris. Nec confessioni tuae gesta conveniunt. . . . Et o quantis ad impietatem proficis incrementis! Et caeteri quidem mortales semper cum vivis bella gesserunt, dum homini ad hominem ultra mortem nihil causae est: tibi vero inimicitiarum nullus est finis. Receptos enim iam in aeternam quietem patres lacessis, et in decreta eorum perversus irrumpis. Apostolus communicare nos sanctorum memoriis docuit, tu eas damnare coëgisti. Estne aliquis hodie aut vivus aut mortuus cuius tu dicta non rescideris? . . . . Cui nunc sanctorum memoriae communicabitur? Anathema tibi trecenti decem et octo convenientes apud Nicaeam episcopi sunt, anathema deinde omnes qui variis exinde expositionibus affuerunt. Ipse quoque pridem iam mortuus anathema tibi pater tuus est, cui Nicaea synodus fuit curae: quam tu falsis opinionibus infamatam perturbas, et contra humanum divinumque iudicium cum paucis satellitibus tuis profanis impugnas. Sed non licet tibi nunc regno potenti etiam in posterum praeiudicare. Extant enim litterae, quibus id quod tu criminosum putas, pie tunc esse susceptum docetur. Audi verborum sanctam intelligentiam. Audi ecclesiae imperturbatam constitutionem. Audi patris tui professam fidem. Audi humanae spei confidentem securitatem. Audi haereticae damnationis publicum sensum, et intellige te divinae religionis hostem, et inimicum memoriis sanctorum, et paternae pietatis haeredem rebellem.“ En verus orator! Constantium nostris subiicit oculis et mentibus non solum vivorum persecutorem sed pietatis in defunctos sanctos, pietatis in patrem mortuum violatorem.

§. 13. *V. seculo barbarorum in Galliam irruptio.*

Tertio et quarto seculo, Germaniae populi quidam, potissimum Franci, in Galliae provincias irruperant, at devicti fuerunt. Initio quinti seculi barbarorum diluvies Occidentem fluctibus submersit. Alani, Burgundiones, Suevi, Vandali Gallias invaserunt omnia ferro flammaque vastantes.

Artium monumenta urbium ruinis obruta sunt, litterae neglectae, eloquentia obmutuit. Rhetores igitur, nec minus grammatici, a pristina gloria degeneraverunt. Attamen *Macrobius*, *Festus*, *Nonius Marcellus*, *Servius*, aliique Romae doctores non ignobilia nomina reliquerunt. In Galliis, ingruente barbarie, studia declinarunt: grammaticae, rhetoricae, ipsique sermoni Romano a paucis tantum melioris notae scriptoribus pristinus honos tribuebatur. De senescente doctrina querentem audiamus *Mamertum Claudianum*, inter oratores eius seculi celebrem; haec sunt eius verba in epistola ad *Sapaudum* rhetorem: „Unum illud procul ambiguo dixerim, nostro seculo non ingenia deesse, sed studia. Quorum egomet studiorum quasi quandam mortem flebili velut epitaphio tumularem, nisi tute eadem venerabili professione, laudabili solertia, acri ingenio, profluente eloquio resuscitavisses. Quod equidem bonum eo admirabilius est mihi quo desperatius fuit. Video enim os Romanum, non modo negligentiae, sed pudori esse Romanis, grammaticam uti quandam barbaram barbarismi et soloecismi pugno et calce propelli, dialecticem tanquam Amazonem stricto decertaturam gladio formidari, rhetoricam ac si grandem dominam in angusto non recipi, musicen vero et geometriam atque arithmeticam, tres quasi furias, despui, post hinc philosophiam uti quoddam ominosum bestiale numerari . . . . Hinc vero, procul iniuria caeterorum, penes Galliam nostram professionis tuae par unus et solus es. . . . . Illud iam in fine sermonis perquam familiariter quaeso, ut spretis novitiarum ratiuncularum puerilibus nugis, nullum lectitandis his tempus insumas; quasdam resonantium sermunculorum taureas rotant, et oratoriam fortitudinem plaudentibus concinnentiis evirant [1]."

Quae cum ita essent, praeter rem et superfluum videtur e barbariei tenebris nescio quorum rhetorum nomina et grammaticorum eruere. Horum unum tantum in lucem proferre

1) *Epist. ad Sap.* in *Baluzii Miscellaneor. libro sexto* Lutet. 1713, p. 535—538.



sat erit, *Agroetium*, qui medio seculo quinto Capri libellum de orthographia nova commentatione illustravit et auxit [1], cuiusque „disciplinam“ Sidonius laudat.

Hic ipse *C. Solinus Apollinaris Sidonius*, Lugduni natus, litterarum amore a pueritia, deinde et ambitione percussus, ex tempore vel versus elegantes effundere vel orator exsurgere valens, meritis suis et amicitia Caesarum per omnes magistratuum gradus fere ad honorum fastigium ascendit. Inter scriptores et doctos homines, quorum tunc magnus fuit numerus, quorumque amicitiam coluit, quasi litteratorum princeps incedebat.

Eius scripta summam quamdam litterarum Gallicarum eo seculo continent. Etenim ex iis noscuntur qui tunc facundi habiti fuerunt. Carminibus et novem Epistolarum libris, in quibus ephemeridas litterarias eius temporis habemus, inclaruit. In poesi, magisque in soluta oratione, perpetua elegantiae affectatione barbariem seculi testatus est et novam barbariem eloquentiae Romanae intulit. Ea scripta coaetanei valde laudarunt. Quamvis nimio sale aspersa sint, rerum varietas et plenitudo, sententiarum novitas et abundantia, delectant; crebro sensus aliquis arguta brevitate effulget, nisi brevitatis quaesitae studio obscuratur. Quadraginta annos natus, Arvernorum [2] episcopus renuntiatus, ab opulentiae deliciis et ambitionis honoribus descivit Sidonius ad intimas animi christiani delicias, ad illum honorem quem Deus animae decernit. Sincerae eius in poenitentiam conversae menti testimonio sit de litteris in melius conversum iudicium. Abinde enim simpliciore atque ad naturae normam propius accedente stylo scribere coepit, veritatis verus interpres.

Illud tandem recordemur quod asserit vir doctus quidam, „etiam infelicissimis temporibus superfuisse Galliae oratores suos, cum Urbi ipsi deessent [3].“

---

1) *Funccius de Inerti et decrepita L. L. senect.* l. III §. 16.

2) Claromontanorum; itaque antecessor fuit magni oratoris Massillon.

3) *Pithoeus* in *Quinctil. Declam.* p. 415.

Hic ultimus, at non purus litterarum Gallicarum splendor, Romanorum tempore, quorum imperium anno 476 finiit, quum princeps qui primi Regis et primi Imperatoris nomina referebat, Romulus Augustulus sceptro se abdicavit.


Gallos iam antiquissimis temporibus, quales etiam nostris diebus apparent, natura praeditos vidimus eximiis dicendi virtutibus, arte autem adeo eminentes ut ipsorum Romanorum doctores facti sint, et eloquentiae scholae in Gallia prae ceteris floruerint. Si sub Imperatoribus animi servitute a stirpis bono degenerantes, pro eloquentiae fructibus, rhetoricae nimis coloratos flores protulerunt, temporum istud erat infortunium, auctum gentis mobilitate, hominum inconstantia et ambitione. At semper, vel corruptissimis studiis, oratorii ingenii vera deprehendimus signa, scintillas post flammam. Quarto seculo Gallos Romanis superiores conspeximus in ipsis litteris profanis. Sanctae vero eloquentiae monumenta et christianorum ingenia oratorum summopere splendida et potentia mox admirabamur. Qualibet rerum Gallicarum periodo maioris momenti incitamenta ad facundiam animos impulerunt. Christiana religio primos Gallorum apostolos inflammavit; constituenda et defendenda gentis ecclesia Irenaeum patresque concilii Lugdunensis, II. seculo; fidei pericula, seculo IV., Sanctum Hilarium; XII., *communitates*, quae dicuntur, cum consurgerent, defensores suos, ex tempore oratores, excitaverunt; elatus vero tunc novorum temporum spiritus, omnesque vitae moralis virtutes, quasi sub Cruce congregatae, apostolum suum inspiraverunt D. Bernardum. Quum exeunte seculo XVIII., regum imprudentia, sub pedibus populorum Europaeorum contremisceret solum, quum *ultima venis*set *iam* philosophorum *carminis aetas* et *magnus ab integro saeclorum nas*ceretur *ordo* [1], atque sacerdotes et

---

1) *Virg. Bucol.* IV, 4 et 5.

apostoli novae civilis religionis opus essent, oratores exsurrexerunt, intonuit eloquentia. Nec propioribus temporibus, quum reformaretur liberior monarchia, eloquentissimi defuere viri ad res publicas ordinandas et ornandas.

Unamquamque nationem quadam praecipua dote insignivisse videtur Natura, facundia quidem Gallos. Hanc ob causam ea, quam recentioribus temporibus miramur, eloquentia Gallicae genti innata usque ab incunabulis nobis apparuit. Nascatur occasio, nascentur oratores.



BONNAE, TYPIS CAROLI GEORGII.

